Carmelitar. discalceator. Prov. Pol. Compendium concordiae libertatis creatae cum scientia, voluntate, providentia, praedestinatione et gratia Dei actuali.

COMPENDIVM CONCORDIÆ LIBERTATIS CREATÆ CVM Scientia, Voluntate, Prouidentia, Prædestinatione, & Gratia Dei actuali.

A

FF. CARMELITIS Discalceatis Prouinciæ Polonæ Studiosis Sacræ Theologiæ.

PVBLICO CERTAMINI EXPOSITVM.

In Aduentu Adm. R. P. N.

PRÆPOSITI GENERALIS.

Cum licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,

Typis Francisci Cæsarii. Anno D. 1627.

In Stemma Religionis Carmelitanæ.



Cur mons Carmelus caput inter ſydera condit?
Cælica monticolas voluere mente docet.
Crux ſummo rutilans, quid ſignat, vertice montis?
Membra ſuper terram mortificare iubet.
Quid gladius zeli, Eliæ quem dextera tendit?
Hem feriet, caueant, colla inimica Cruci.
Nam Cherub veluti gladius vitale tuetur
Lignum: ita viuificam ſeruat & iſte Crucem.



Admodum Reuerendo Patri Nostro obseruandissimo,

P. F. MATTHIÆ à S. FRANCISCO Præposito Generali Cõgregationis S. ELIÆ ORD. Bmæ. VIRG: MARIÆ DE MONTE CARMELO REFORMATI.

FF. Carmelitæ Discalceati Prouinciæ S. Spiritus in Polon. Studiosi Sacræ Theologiæ S. P. D.



Xcedunt facultatem virium, vota nostra, & ipsa eadem vota, superant erga nos merita tua, Adm: Reuerende Pater. Inde est quod nec tantum valemus quantum volumus, nec tantum volumus quantum tu mereris de nobis, tibi pro omnibus rependere. Tot quippe ac tantis sumus tibi deuincti titulis, vt de vno quoque seorsim perdifficile, de omnibus in simul penè impossibile sit correspondere. Quidquid enim siue in commune Religionis bonum, siue in specialem Prouinciæ nostræ vtilitatem, siue in particularem tuorum Studiosorum profectum contulisti, totum illud singulos nos afficit, quia in singulos redundat; quatenus nimirum & huius Sacræ Religionis professi, & huius Prouinciæ filij, & huius denique studij sumus alumni. Sicq; nos tibi triplici hoc genere beneficiorum, triplici nobis nomine impenso, quasi triplici funiculo, qui ab ipso etiam grauissimo ingratitudinis pondere diffi-

cile rumpatur, obstrinxisti, obligasti, innodasti. Et quidem quantum inprimis de Religiosa Republica Ordinis nostri promeritus sis, piget recensere, quia pro factorum dignitate non licet referre: nec tamen expedit omnino silere. Primo ergo officij tui triennio, quoad supremum dignitatis apicem in Religione euectus fuisti, (iam enim altera vice eodem perfungeris) plurima sanè perenni digna memoria præstitisti: dum nimirum (vt à cōmunioribus exordiar) munus hoc ipsum grande, tuis impositum humeris viriliter subijsti, vtiliter administrasti, ac demum feliciter consūmasti, cùm magna imprimis gloria Dei, tum insigni Religionis profectu. Testantur id tot Cœnobia per te erecta, & vniuersa insuper tam antiquiora quàm recentiora salutaribus doctrinis sæpius à te instituta, & sanctis institutis edocta. Sicq; ea tempestate sacra Religio te authore, ac Deo fautore, non modo temporalibus vbique proficiebat spatijs: verùm etiam spiritualibus insigniter augebatur incrementis, ac nouella illa plantatio Reformationis, quotidiano tui sudoris rore irrigata, facta erat quasi hortus irriguus varios flores producens, & vberrimorum fructuum copiosam promittens vindemiam. Sed hæc forsitan perexigua cuipiam videbuntur, si particularibus quibusdam ijsque permaximis comparentur, quæ DEVS Opt. Max. quibus vtique maior gloria eius, & Sanctorū, ac Religionis aucta fuerat, per te operatus est. Huc primò spectat recensere, qualiter per te honor gloriosissimæ purissimæq; Dei Matris, & nostræ, ac potentissimæ Hæreticorum triumphatricis Virginis MARIÆ, toti innotuit orbi, cum te supremo moderatore Religionis ac motore, prodigiosa illa imago Virginis, pronunc S. MARIÆ de Victoria, nuncupata, ab Hæreticis in quodam Bohæmiæ oppido ignominiosissimè confossa, & contumeliosè in quisquilinijs defossa, ibidem à R. P. F. Dominico à IESV MARIA Definitore Generali nostri Ordinis inuenta est, ac post reportatum per eam miraculosè de Hæreticis triumphum, ab Inuictissimo Ferdinando II. Romani Imperij hodie sceptra tenente, solemni cum pompa, ac publica totius populi ac cleri deuotione ad Romana fastigia ho-

norificentissimè excepta, & demum in ædibus nostris, S. Paulo in monte Quirinali sacris, reposita est, ibiq; celebri populi Christiani concursu frequentatur. Aliud non minus omni sæculo memorandum sub idem tempus tui contigit officij; imò verò tua opera & vigili studio procuratum, & ad felicem exitum deductũ est, Canonizatio, inquam, Seraphicæ Virginis Reformatricis & Fundatricis nostræ S. TERESIÆ, cuius iam præclara sanctitatis, ac heroicissimorum facinorum splendor per omnes ferè totius Vniuersi plagas emicuit. Denique tuas celebrent laudes externarum quoq; nationum Regiones, Persicæ præsertim (quæ olim à fide Catholica penè extorres, nunc verò Deo miserante, verbi diuini semine suscepto, messem copiosam pollicentur) quarum tu conuersioni, quantum erat ex parte tua, non mediocriter cooperatus es, dum scilicet nonnullos de Congregatione nostra Religiosos ad hoc opus velut aptissima instrumenta delegisti, destinasti, & subministrasti, cæterisq; nostris, illic eodem fine commorantibus adiunxisti. Quin etiam hoc altero officij tui currente triennio, præter plurima alia, quæ vltrò omittimus, ne metas debitas excedamus, insigne planè opus moliris, dum nimirum Religionis vexillum in montem Syriæ Carmelum infers: quatenus vnde auita Religio prima sub Beatissimo Patre Elia & Eliseo, ac cæteris filijs Prophetarum sumpsit exordia, at postmodum inde, varijs barbarorum incursionibus infestata, exulare prorsus coacta est, nunc tandem benè prosperata per orbem, illic iterum te promotore consurgeret; & sua lætitia & exultatio Carmelo ablata, restitueretur rursus: Carmeliq; vertex exsiccatus, denuo reflorescеret, reuirescеret, ac reuiuisceret: sicq; demum redirent flumina ad locum, vnde exierunt. Hæc tua præclara de Religione in vniuersum merita, agnoscimus, collaudamus, veneramur. Porro Prouincia quoque hæc nostra, tantò maiora & vberiora per te recepit beneficia, quantò longiori temporis spatio coniunctior ei fueras. Illa te primum Fundatorem suum ac Parentem recognoscit: Tu enim in Christo IESV per Euangelium nos genuisti, lacte tuæ doctrinæ nutristi, ac Spiritu veræ Religionis im-

nis imbutos confirmaſti. Tu primus in ea Prouincia Prior, primus deinde Prouincialis, ac denique primus ex Poloniæ, imò totius Congregationis Prouincialibus Generalis creatus. Nec verò tum etiam natiuæ erga nos oblitus charitatis, de ſemel concepto affectu paterno quicquam remiſiſti, quinimo Solis ad inſtar, qui quo eleuatiorem gradum aſcendit, eo fortiori influit virtute; ita & tu ſupremum Religionis aſcendens faſtigium, virtuoſius in hanc influebas Prouinciam. Idq; non prima vice tantum, verum etiam hac altera teſtatus es, quam fortis ſit tua ergo eam dilectio, quando videlicet pro tui munere officij, licet remotiſsimam non dedignatus varios ſubire labores, & longioris viæ pericula & incommoda propellentibus te, quibus vehementer æſtuas, flammis ſingularis erga nos amoris coram viſitaſti, ac tua præſentia mirificè recreaſti, & ad perfectionis curſum conſummandum tuo exemplo accendiſti, & adhortatione incitaſti. Te proinde noſtrum eſſe ſpecialiter hæc Prouincia gloriatur, etſi non abſque aliarum forſitan laudabili inuidentia, quarum licet vnaquæq; te ſuum quoque recognoſcat, magis tamen ſuum habere cum noſtra certat. Iam verò Corona hæc Studioſorum, quantum tibi debeat, factis potiùs quàm dictis, teſtatum id velit. Tua quippe operâ, ſtudia primum in hac Prouincia, imò adhuc ante ipſius Prouinciæ erectionem, inchoata ſunt, & ex tunc, hactenus continuantur. Accedit, quod etſi omnes filios huius Prouinciæ intimo ſemper affectu complexus fueris, præcipuam tamen curam & diligentiam circa ſtudioſos exercueris, vt in eis nulla eſſet macula, vtq; eos decoros forma, eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, doctos diſciplina Regi pacifico, quatenus in eius palatio irreprehenſibiles ſtare poßint, exhiberes. Tot itaque vinculis, ac tantis à te benefactis obſtricti, etſi in mille notas gratitudinis prorumpere geſtiamus, pro omnibus tamen deficimus; multo magis namq; tuis nos deuinxiſti beneficijs, quàm noſtris vincibilis ſis officijs. At nihilominus ne ingrati omnino videamur, Compendium hoc de Concordia libertatis creatæ cum Scientia, Voluntate, Prouidentia, Prædeſtinatione, & Gratia Dei, quod

pro

pro nunc in procinctu erat, in signum nostræ erga te obseruantiæ ac deuotionis, maiori cum affectu, quàm cum prouentu tibi offerimus, dedicamus, consecramus. Si munusculum hoc filios tuos offerentes cogitaueris, non dubium quin paterno animo & beneuole sis excepturus. Et siquidem hasce lucubrationes nostras tuo probaueris calculo & lumine tuæ singularis doctrinæ (es enim sapiens sicut Angelus Dei) illustraueris ad maiora aggredienda, quæ meditamur, inuitabis. Interim Clementissimus D E V S *Te sospitem & incolumem nobis & toti Religioni conseruet ac tueatur.*

Eidem Ad. R.do P. Nostro Præposito GENERALI,

Ab ijsdem FF. Studiosis

ODE DEDICATORIA.

JActat Orphæas Helicon Camœnas
Hercule inuicto celebratur Oeta
Gaudet ardentis nemorosa flammæ
Aetna caminis.
Inclytum vastus scopulis triumphum
Pindus excelsi resonat Tonantis
In suo horrendos reboans domari
Colle gigantes.

Marte

Marte ſcutato Rhodope ſuperbit
Atque Parnaſſi bifidum cacumen
Nobilem Phœbum cytharâ & tremendum
Prædicat arcu.
Alme MATTHIA venerande Præſes,
Te tuus terna radians coruſca
Luce Carmelus celebrat ſupremum
Laude parentem.
Sedula quem cum Pater alme dextra
Irrigas montem, viret & virebit
Flore Carmelus niueo decorus
Tempus in omne.
Tu venenatos prohibes Chelydros
Ne vomant virus Phlegetontis atrum,
Editis, vt non valeant nocere
Floribus albis.
Te nouos flores ſacer irrigante
Mons dat, hoc ſuaui cohibens odore,
Ne premat mundum ſcelerum Mephitis
Prodita Auerno.
Cœlicæ ſummus dominator aulæ
Floribus montem niueis decorum
Hunc ab excelſa ſpeculatur ipſe
Arce libenter.
Nunc tui montis Venerande fructus
Sumito Præſul tibi quos ſupremo
Exhibet Patri, ſimul & beata
Cuncta precatur.



IESVS ✠ MARIA.

RESOLVTIO BREVIS De cōcordia libertatis createę cum Scientia, Voluntate, Prouidentia, Prædeſtinatione, & Gratia DEI.

De Scientia Dei in communi.

1 COmmuniſſima eſt Theologorum partitio, qua ſcientia Dei dicitur eſſe alia ſimplicis intelligentiæ, alia Viſionis, Alia, & alia, non ſecundùm eſſe, ſed ſecundùm obiecta. Scientia ſimplicis intelligentiæ ſcit Deus poſſibilia, ſcientia verò viſionis exiſtentia.

2. Ex his ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quatenus dirigens operationem diuinam, eſt cauſſa rerum; ſed & defendi poteſt, quod etiam ſcientia Viſionis ſit cauſſa rerum.

3. Non eſt autem aſſerendum, quòd ſecundùm cauſſam eſſendi, ideò ſciatur à Deo futurum, quia futurum eſt, niſi ſecundum cauſſam conſequentiæ; ſed potiùs ideò aliquid futurum eſt, quia ſcitur à Deo.

De Scientia ſimplicis intelligentiæ.

1. DEVS poſſibilia cognoſcit in ſeipſo, tanquam in cauſſa, & obiecto priùs cognito.

2. Possibilia cognoscit, id est, essentias rerum, quæ secundùm se abstrahunt ab omni existentia, id est, reali, & rationis; & ideò, vt sic, non dicuntur fieri, fiunt enim per accidens; Neque, vt sic, sunt vniuersales, quia omnis vniuersalitas in prædicando est per opus intellectus; Non sunt autem merè nihil, sed entia realia nominaliter, imò & habent vnitatem formalem realem, quæ non competit eis per actum rationis. Quia autem hæ essentiæ capaces sunt existentiæ, ideò dicuntur possibiles: Essentia enim est potentia, & existentia actus huius potentiæ, extrema inter se distincta realiter. Non, quasi essentia, alia sit potentialis, alia actualis, imò omnis essentia secundùm se est potentia, fit autem ab agente actualis, id est existens: Sicut neque existentia alia est actualis, alia potentialis: hoc enim perinde esset, ac si quis diceret, animal, aliud esse rationale, aliud irrationale. Et rursum, rationale, aliud rationale, aliud irrationale; qua ratione processus diuisionis posset formari in infinitum: Sed quia ens diuiditur per actum, & potentiam, tanquam duo extrema, quorum nullum potest esse æqualis ambitus, sicut diuisum: Ideò potentia non debet amplius diuidi per actum, & potentiam, neque actus iterum per actum & potentiam. Decipiuntur ergo illi, qui essentiæ attribuunt quandam actualitatem distinctam realiter ab existentia, & dicunt esse aliam actualitatem essentiæ extra causam præter existentiam, quamuis dependentem ab existentia.

3. Non autem possibilia dicuntur possibilia secundùm quandam potentiam obiectiuam realem distinctam à potentia subiectiua, & actiua, cui correspondeat actus entitatiuus sibi identificatus realiter. Ens enim diuiditur in actum, & potentiam, tanquam in duo membra realiter distincta, & non est alia potentia realis, præter actiuam & passiuam largè sumptam; nisi fortè potentia Logica, quæ est non repugnātia terminorum. Hanc ob rem, & à Philosophis Thomistis dicitur, quod materia prima nullo modo potest dici actus entitatiuus, nam caret existentia propria. In præsenti ergò possibilia dicuntur à potentia actiua Dei.

4. Est controuersum, an sicut scientia simplicis intelligentiæ datur circa possibilia, ita detur voluntas simplicis complacentiæ circa

eadem: quæ diſceptatio hac diſtinctione videtur poſſe determinari; vt dicatur, quod circa eſſentias rerum nudè ſumptas (qua ratione dictum eſt eas abſtrahere ab omni exiſtentia) non detur vllus actus voluntatis, conformiter ad Ariſtotelis ſententiam, qui dixit, in ſimili, in Mathematicis non eſſe bonum, quia Mathematica ſecundùm modum propriæ abſtractionis non ſunt nata ſubſiſtere ſeparata ſecundùm eſſe; & ideò Mathematicus non demonſtrat per cauſam finalem, quia id, quod habet rationem finis eſt bonum. Circa verò eſſentias rerum, quatenus ſunt capaces exiſtentiæ, poteſt dari ſimplex affectus volũtatis.

De Scientia Viſionis.

1. Futura, quædam ſunt neceſſaria, quædam contingentia; & ex his, quædam contingentia, vt in pluribus; quædam contingentia, vt in paucioribus; quædam contingentia ad vtrumlibet; quæ ſunt duplicia, alia abſoluta, alia conditionata; & hæc, alia diſparata, alia cõnexa, & iſta vel per illationem, vel per ſolam concomitantiam. Poſſunt autem cognoſci, vel in ſeipſis, vel in alio: ſiue vt alij dicunt, immediatè, vel mediatè, id eſt per medium, quod tanquam obiectum primò cognitum, ſit ratio cognoſcendi aliud.

2. Simili modo variantur propoſitiones, quæ correſpondent rebus; nimirum, quod aliæ ſunt in materia neceſſaria, aliæ in materia contingenti, vel vt in pluribus; vel, vt in paucioribus; vel ad vtrumlibet: & hæ, aliæ Cathegoricæ, aliæ Hypotheticæ, præſertim conditionales, in quibus, vel nullo modo ſequitur conſequens ad antecedens, & dicuntur diſparatæ: vel aliquo modo ſequitur in quibuſdam illatiuè, in aliis concomitanter. Cognoſcuntur autem, vel in ſeipſis immediatè, vel in aliis prioribus propoſitionibus, ſi de neceſſitate ſequantur ad illas.

3. Et quidem futura neceſſaria in ſuis cauſſis neceſſarijs, facilè cognoſcuntur: futura etiam contingentia in pluribus, aut in paucioribus in ſuis cauſſis completis, & non impeditis certo percipiuntur; Tota difficultas reducitur ad futura contingentia ad vtrumlibet. Futura enim contingentia ad vtrumlibet, vt ſunt futura, ſiue propoſitiones

nes singulares de futuro contingenti ad vtrumlibet, in quantum de futuro non habent determinatam veritatem, aut falsitatem quod clarè docuit Aristoteles, & S. Thomas eum sequutus: Ita vt immeritò dicatur Aristoteles turpiter errasse: Non enim potest esse error, Aristotelica, facta Angelica veritas. Quod assertum extenditur etiam ad diuina decreta, quæ prius ratione, quàm sint, non sunt determinatè scibilia. Item futura contingentia ad vtrumlibet non possunt cognosci in suis caussis seorsim sumptis, in quibus cũ habeant esse indeterminatum, veritatem vtiq; habebunt indeterminatam: Quamuis probabilissima sit sententia, & secundùm mentem Doctoris Sancti; & secũdùm rationem, eorum, qui dicunt posse ea cognosci in collectione caussarum. Voluntas enim infallibiliter eligit bonum pro hic, & nunc præponderans, ita quod impossibile sit eam eligere minus bonum tale cognitum: quod videtur importare ipsa electio, quæ est, quasi vnius præ alio acceptio: Ipsum quoq; consilium, quod est coagitatio, & cõparatio multorum, ad hoc vt melius appareat: Demum ipsa natura voluntatis, cuius proprium obiectum est bonum, & ita fertur in illud eò magis, quò magis bonum: & malum est præter intentionem, quod à quibusdam iudicatur fore in intentione directa, si studiosè minus bonum maiori cognito posthabito eligeretur.

4. Certum est secundùm mentem D. Thomæ futura contingentia ad vtrumlibet cognosci à Deo in virtute suæ caussæ primæ, seu decretò suo ita quid mirũ sit à quibusdã adeò tenaciter asseri S. Thomam nunquam talem modum cognoscendi futura contingentia ad vtrumlibet agnouisse. Isti euoluant c. 68. 1. contra gentes, & clarè videbunt Angelicum Doctorem sensisse quod Deus cogitationes mentium, & voluntates cordium cognoscat in virtute caussæ, quùm ipse sit vniuersale essendi principium. Potest etiam dici, quod Deus futura contingentia ad vtrumlibet cognoscit in suis Idęis, non secundùm se sumptis, sed diuino decreto completis.

5. Deus futura contingentia ad vtrumlibet intuetur, vt sunt realiter præsentia æternitati. Æternitas enim Dei, cùm sit indiuisibilis, & excedens, complectitur simul realiter omnia tempora, ita vt respectu ipsius nihil sit realiter præteritum, nihil realiter futurum: Vndè sequitur,

quitur, quod omnes res ſint realiter pręſentes æternitati ſemper, ſeu toti æternitati Categorematicè, non Syncategorematicè. Non tamen ab æterno abſolutè & ſine addito loquendo; Quia, Ly, ab æterno, ſecundùm communem ſignificationem ſignificat, vel æternitatem prout dicit reſpectum antecedentiæ ad tempus reale, vel æternitatem, prout dicit ſimultatem coexiſtentiæ ad tempus imaginarium infinitum à parte ante. Multò magis improbanda eſt locutio eorum, qui dicunt, Antichriſtum fuiſſe ab æterno, in menſura communi, priuſquam eſſet in menſura propria: non ſolùm, quia in æternitate non eſt reperire terminos temporales, vt, prius, ante, iam, fuit, vel erit; ſed etiam, quia implicat rem coexiſtere æternitati, & ſuam propriam menſuram non coexiſtere illi, quandoquidem etiam menſura propria eſt ens reale, omnia autem entia realia neceſſe eſt dicere, quod coexiſtant toti æternitati. Similiter etiam alij modi loquendi alieni ſunt à mente S. Thomæ, & genuino ſenſu Thomiſtarum, vt; quod futura ante creationem mundi fuerint: quod bis producantur, in menſura ſcilicet cõmuni, & particulari: Mens enim Præceptoris ſancti, & diſcipulorum eius eſt, quod omnia coexiſtãt æternitati toti ſecundum ſe acceptæ, qua ratione excedit omne tempus; ita quod id, quod menſuratur æternitate, non menſuretur tempore imaginario, aut reali infinito à parte ante, & à parte poſt.

6. Cautela autem, quæ circa verba temporalia, præteriti, vel futuri temporis adhibetur, vt nullo modo æternitati applicentur, etiam adhibenda eſt circa verba præſentis ſignificationis; v. g. quando dicitur: Antichriſtus nunc eſt; Ly nunc, poteſt ſignificare, vel inſtans æternitatis, quod eſt vnum tantùm, vel inſtans temporis; & tunc ſumitur, vel vt menſura propoſitionis ſignificantis, ſiue vt menſura veritatis: vel vt menſura rei ſignificatæ, ſiue menſura eſſe ipſius rei. Si ſumatur ly, nunc, pro inſtanti æternitatis, ſenſus propoſitionis dictæ eſt, quod in eodem nunc æternitatis Deus, & Antichriſtus exiſtunt, & eſt propoſitio vera. Si verò ſumatur ly nunc pro menſura propoſitionis ſignificantis ſenſus eſt, quod in iſto tunc temporis hæc propoſitio eſt vera, Antichriſtus coexiſtit Deo, quod vtique eſt veriſſimum, quia Antichriſtus, & nunc temporis, quod eſt menſura propoſitionis con-

ueniunt in mensura præsenti, quæ est æternitas. Si verò sumatur, ly nunc pro mensura rei significatæ, sensus est, quod in eodem instanti temporis Deus, & Antichristus existunt, & est falsissimum. Rursum ly est, quod connotat præsens, vel connotat præsens temporis, vel connotat præsens æternitatis. Si consignificat differentiam temporis præsentis, quasi dicatur, Antichristus in tempore nobis præsenti est, falsissima propositio est; si verò abstrahat à significatione temporis præsentis, & consignificet mensuram æternitatis præsentem, quæ nullo modo est præterita, aut futura, nulla difficultas est dicere, quod Antichristus est: Non enim est alius sensus, nisi quod esse Dei, & esse Antichristi mensurantur vna mensura durationis præsenti, quæ est æternitas. Accidit autem deceptio in ijs, qui non intelligunt mentem S. Thomæ, sicut reuera paucissimi ex doctissimis etiam Aduersarijs eam capiunt, quod quia cognitio nostra à motu, & tempore originatur, & verba habemus connotantia motum, & tempus, ideo non valentes, aut omninò non scientes supergredi imaginationem, concipiunt æternitatem eo modo, quo passim à multis concipitur pro infinito tempore imaginario à parte ante, & à parte post; siue æternitatem accipiunt non nudè, & solitariè, sed quatenus coexistit tempori.

7. Si autem quæratur, an possit dici, æternitati esse præsentia omnia simul, dicendum quod sic: Ly simul distinguendo, vt non capiatur cum connotatione ad eandem temporis differentiam, sed cum connotatione ad eandem mensuram æternitatis præsentem, qua ratione omnia simul sunt præsentia æternitati inadequatè, quia & est mensura inadequata; Et hac ratione illud axioma intelligendum est; quæ sunt simul vni tertio, sunt simul inter se. Sicut enim non valet; Homo est animal, Leo est animal, ergo homo est leo, quamuis sint idem vni tertio, quia non adæquate: Ita non valet; Adam existit in æternitate, Antichristus existit in æternitate, ergo sunt simul simpliciter loquendo, nisi inadæquatè. Propter hanc caussam non docuit S. Thomas duo contradictoria, quando asseruit omnia esse realiter præsentia æternitati: Et iterum asseruit quod infinitam actu multitudinem impossibile est esse. Multitudo enim præter quod importat actualem discretionem, seu diuisionem (vnde partes proportionales, & inassignabiles in

les in continuo non sunt infinitæ actu, quia neque faciunt numerum actu, non enim possunt demonstrari, & determinari, aliàs essent aliquotæ, quia aliquoties sumptæ adæquarent totum continuum) importat etiam, quod res numeratæ sint sibi absolutè, & simpliciter præsentes, seu adæquatè præsentes.

8. Quod autem quibusdam videtur contradictoria, sequendo mentem D. Thomæ debere admitti in æternitate, planè non sequitur. Quamuis enim esse Antichristi in propria mensura mensuretur æternitate, & iterum non esse Antichristi in aliena mensura mensuretur æternitate: Tamen hæc propositio, Antichristus non est in æternitate dupliciter sumitur, vel merè negatiuè, ita quod propositio sit formaliter negatiua, & sensus sit, Antichristus non est in æternitate, & tunc est falsa, quia eius opposita, Antichristus est in æternitate, est vera: vel certè sumitur affirmatiuè, ita quod sit propositio affirmatiua, quamuis de prædicato negato, quod multoties contingit, & tunc est sensus, Antichristus habet non esse in æternitate: & propositio est vera, non tamen contradictoria illi propositioni, Antichristus est in æternitate, quia vtraque est affirmatiua.

9. Ex his patet, quomodo sententia S. Thomæ bene intellecta, & vt ab antiquis Thomistis fuit explicata, vt videre poterit, qui fontes reuoluere voluerit, satis sit probabilis, ita quod ad contrariam intellectus nequeat flecti, vtpotè ad eam, quæ malo intellectui doctrinæ Angelicæ innititur. Quæ fusius dicta consultò, vt S. Thomæ veritas vindicetur ab Aduersarijs improperantibus.

10. Scientia Dei cum contingentia ad vtrumlibet futurorum, in ratione scientiæ hoc modo conciliatur. Primò, quia cum Deus sit cognitor totius esse, cuius est principium, vt ait S. Th. 1. contra gen. c. 67. cognoscit vnumquemque effectum, non solùm in se, sed etiam in ordine ad quaslibet suas caussas proximas. Ordo autem contingentium ad suas caussas proximas, est, vt contingenter ex ijs proueniant. Cognoscit igitur Deus aliqua euenire, & contingenter euenire. Secundo, quia scientia Dei non refertur ad futura, vt sunt futura, sed solùm vt sunt præsentia: Inde enim sequitur, quod non est necesse rem fore, antequam sit, & non est necesse rem esse præsentem, quia determina-

tè futu-

ra erat, quandoquidem determinatè futura non erat, sed necesse est rem esse præsentem, tunc quando præsens est. Quæ necessitas est ex suppositione, siue conditionata, non absoluta, consequentiæ, non consequentis, in sensu composito, non in sensu diuiso, seu de dicto, non de re, & est necessitas infallibilitatis, immutabilitatis seu veritatis. Quam concordantiæ rationem, non possunt rectè sustinere ij, qui asserunt futura contingentia ad vtrumlibet, vt futura sunt habere determinatam veritatem vel falsitatem: nam ex futuro, vt futurum est, inferetur necessitas præsentis, vt præsens est: Et licet ex eadem re, tamen sub diuerso statu; quæ est ratio Aristot. 1. Periherm. cap. 8. & ideo non contemnenda.

11. Sensus compositus, aut diuisus non correspondet formæ propositionis modalis: aliud est enim forma propositionis, aliud sensus eius. Illa est propositio secundum formam composita, in qua totum dictum subijcitur, modus verò prædicatur: Illa verò secundum formam diuisa, in qua modus inter extrema dicti ponitur. Sensus compositus non significat compositionem formæ cum subiecto, sed compositionem duarum formarum in eodem subiecto: sicut sensus diuisus non significat diuisionem formæ à subiecto, sed ea etiam in subiecto existente, significat simultatem potentiæ, ad vnam, vel aliam formam.

12. Quamuis autem quando importatur comparatio ad præexistentia, semper intelligatur propositio in sensu composito, vt ait S. Tho. q. 2. de scientia Dei, ar. 13 ad 5. id tamen intelligitur, quando ipsa extrema principalia, seu partes principales propositionis inuoluũt hanc comparationem; v. g. quando prædicatum dicit comparationem ad subiectum: non autem intelligitur, quando termini partis vnius principalis, qui dicuntur materia verbi, inter se dicunt comparationem, non autem ad aliam partem principalem, tunc enim, quamuis in vna parte principali propositionis importetur compositio, non tamen tota propositio facit sensum compositum. Exempli causa: In hac propositione, liberum hominis arbitrium à Deo motum, potest dissentire gratiæ excitanti, seu abicere illuminationem; dissentire, & abycere vtiquè dicit compositionem cum gratia excitante, seù illuminatione quia dissentire comparatur ad præexistens, & actu dissentire est actu

compo-

componere, & consequenter posse dissentire, est posse componere. Nihilominus tamen, ly dissentire, quia nō refertur ad prædefinitionem sed ad aliquid tantùm vitale; Dissentire enim, est non assentire ei quod sentitur, prædefinitio autem diuina non sentitur: Ideo propositio dicta, tota non reddit sensum compositum, quasi liberum hominis arbitrium possit componere dissensum cum prædefinitione Dei: Sed reddit hunc sensum: Liberum hominis arbitrium sub prædefinitione Dei existens, potest componere dissensum cum gratia excitante, & illuminatione, quod vtique est verissimum, & non aliter intentum à Sacrosancto Concilio Trid. Certum est enim, quod semper liberū arbitrium cum gratia excitante, vt sic, etiam si sit efficax, quia secundum se non est efficax respectu actus sequentis, sed ratione adiunctæ prædefinitionis potest componere dissensum cum ea secundum se considerata.

De Scientia Conditionatorum contingentium ad vtrumlibet.

1. Ex propositionibus conditionalibus disparatis in materia contingenti ad vtrumlibet, si sumantur in ratione cōditionalium, semper affirmatiua est determinatè falsa, negatiua autem determinatè vera. Neque audiendi sunt dicentes vtramque esse falsam, quia in vtraque consequens nullo modo sequitur ad antecedens; sicut falsum est, quod si equus est animal, Antichristus nascetur, quia natiuitas Antichristi nullo modo sequitur ad animalitatem equi, ergo etiam falsum, quod, si equus est animal, Antichristus non nascetur, quia negatio natiuitatis Antichristi nullo etiam modo sequitur ad animalitatem equi: hi enim falluntur in eo, quia nesciunt formare propositiones contradictorias conditionales Negatiua enim fit per præpositionem negationis ad totam coditionalē: Et ita dictæ propositiones non sunt contradictoriæ, & ambæ falsæ. Sed hæ sunt contradictoriæ; si equus est animal, Antichristus nascetur. Non, si equus est animal, Antichristus nascetur: & ex his affirmatiua falsa, negatiua autem vera est. Si verò propositiones conditionales disparatæ in materia contingenti ad vtrumlibet sumantur in vi categoricarum, tunc in eis est determinata veritas vel falsitas aliquando secundùm vtramque Categoricam, aliquando secundùm

eundum vnam. Propositiones autem quædam conditionales, quæ in Sacra scriptura reperiuntur, & videntur disparatæ in genere rei: vt, Gen: 24. *Si direxisti viam meam, &c. Virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam, &c. & dixerit: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam. Ipsa est virgo, quam præparauit Dominus filio Domini mei.* Et 1. Regum 14. *Si locuti fuerint ad nos, manete, donec veniamus ad vos: Stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos; Si autem dixerint: Ascendite ad nos: Ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* Et 4. Reg: c. 2. *Si videris me, quando tollar á te, erit tibi, quod petisti. Si autem non videris, non erit.* Et 4. Reg. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumptionem.* Omnes istæ sunt conexæ in genere signi, non naturalis, sed voluntarij, & ad placitum: & ideo supponunt ad veritatem sui decretum.

2. Propositiones in materia contingenti ad vtrumlibet, in quibus particula, si, significat illationem sunt determinatè verę, vel falsæ, quia tota veritas earum consistit in bonitate consequentiæ, & ideo omnes tales sunt necessariæ.

3. Propositiones verò, in quibus consequens non sequitur de necessitate ad antecedens, & in vi illationis, sed solum secundum quandam concomitantiam, nullo modo potest dici, quod cognoscantur per scientiam, quam vocant, mediam.

4. Positio de scientia media, quomodo discrepet ab hæresi Pelag. & Semipelag. non est hic determinandum, quia longum esset recensere errores eorum; sed id aliàs, si Deo visum fuerit, monstrabitur. Hoc interim vnicum annotasse sufficiat: Argumentis, quibus vtuntur defensores scientiæ mediæ vsos fuisse Pelagianos & Semipelagianos aduersus intemeratam doctrinam S. Augustini.

5. Argumento de libertate vsus est Pelagius, quia inter 12. articulos sibi in Synodo Palæstina obiectos, quos nisi anathematizasset, anathematizatus & ipse fuisset. Iste est decimus: *Non esse liberum arbitrium si Dei indiget auxilio: quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere.* Idem refert S. Aug. multis in locis, fuisse sibi obiectum á Pelagianis. Et certè Pelagius agnouit gratiā moralem internam, vt patet ex lib. de Gratia Christi c. 10, *Operatur*, inquit Pelagius

lagius, *in nobis velle, quod bonum est, velle quod Sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitationi succendit, dum reuelationi sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis &c. suadet omne, quod bonum est.* Non ergo sensit Pelagius tolli liberum arbitrium per gratiam moralem, quam concessit. De qua etiam certum est, sæpius eam respui a corde. Eodem argumento vsi sunt Semipelagiani, vt patet ex Epi. D. Prosperi ad Augustinum: *Remoueri*, inquiunt, *omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem; aut diuersarum naturarum dici Dominum conditorem, si aliud nemo possit esse, quam factus est.* Huic argumento respondet S. Augustinus toto libro de Gratia, & libero arbitrio, de quo lib: 2 Retract. c. 66. ait se propter eos eum scripsisse, *qui cum defenditur Dei gratia, putant negari liberum arbitrium.*

6. Argumento de sufficientia auxiliorum etiam vsi sunt Pelagiani, sic enim aiunt c. 2. de Corr. & Gratia: *Vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc non agimus, sed id velle & operari, Deus operatur in nobis?* Et c. 4. *Quomodo meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omnino aliud, vnde tale, ac tantum munus habeatur?* Et: *Rectè corriperer, si eam mea culpa non haberem: hoc est; si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem; vel, si dante ipso illo accipere noluissem. Cum ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, &c.* Aduersus hoc argumentum scripsit S. August. totum librum de Corr. & Gratia, quia, inquit lib. 2. Retract. c. 67. nuntiatum illi erat dixisse quendam, *neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit.* Eodem argumento vsi sunt Semipelagiani. Dicebant enim *Prædestinationis definitionē vtilitati prædicationis aduersam, eo quod hac audita nemo possit correptionis stimulis excitari*, vt patet ex Aug. lib: de dono Perseuerantiæ, c. 14. 15. 16. 17. vbi improbat eorum errorem.

7. Tandem argumento, quod Deus esset author peccati, vsi sunt Pelagiani, vt patet ex lib. S. August. ad articulos sibi falsò impositos. Sic enim inquiunt art. 5. *Quod peccatorum nostrorum author sit Deus, &*

 quod

quod malam voluntatem faciat hominum. Et art. 10. *Quod adulteria, & corruptelæ Virginum sacrarum ideò contingant, quia illas Deus ad hoc prædestinauit, vt caderent.* Cui argumento respondet eodem lib. citato.

8. Non solum argumentis à ratione, sed etiam testimonijs eorundem SS. Patrum; videlicet Græcorum, quibus recentiores in astruenda scientia media vtuntur, tutati sunt suos errores Pelagiani, & Semipelagiani. Quod colligitur ex Augustino lib. de Prædestinatione Sanct. c. 14. *Quid opus est, vt eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quæstione versari; Quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur? Vnde factum est, vt de Gratia Dei quid sentirent, breuiter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesiæ disputabant.* Et lib: de Dono perseuerantiæ c. 20. ait: *Hæc est Prædestinatio manifesta, & certa Sanctorum: quam postea diligentiùs & operosiùs, cùm iam contra Pelagianos disputaremus defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasq; hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur scriptura diuina, quàm si nulla talis necessitas cogeret.* Eosdem Sanctos Patres, dum de Præscientia Dei loquuntur (in qua etiam materia ab assertoribus scientiæ mediæ citantur) ita exponit S. Augustinus, vt nullo modo possint censeri fauere scientiæ mediæ. Capite enim 19 lib: de Dono perseuerantiæ ait: *Quid nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re vti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat; imò & congruit veritati, quæ de Prædestinatione gratiæ prædicatur.* Hæc Augustinus. Sed ecce vnica expositione Augustini, quæ non potest reijci, manent explicatæ tot authoritates SS. Patrum adductæ in fauorem scientiæ mediæ.

9. Quod autem mirabilius est, sicut Semipelagiani, non solum aliorum Catholicorum testimonijs, sed etiam S. Augustini disputatione, suos errores se probare testati sunt: sic ijsdem testimonijs, quidam neoterici ad asserendam scientiam mediam vsi sunt. Quem enim locum Massilienses ex q. contra Porphyrium de tempore Christianæ Religionis protulerunt, vt patet ex Epist, Hilarij: eundem & aliqui ex defenso-

fensoribus scientiæ mediæ proferunt: Cum tamen Aug. lib. de Prædest. Sanct. c. 3. ex lib. suarum Retractationum dicat, se in quibusdam opusculis ante Episcopatum suum conscriptis nondum diligentius quæsiuisse, nec inuenisse, qualis sit electio gratiæ, & *minus diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit, vocatione tractasse.* Sed hic aperitur campus elucidandi mentem S. August. quod interim compendio præstandum est:

10. Sciendum igitur S. Augustino fuisse à Sanctis Prospero, & Hilario propositam quæstionem de Scientia media. Sic enim ait Prosper in sua Epist: *Digneris aperire, vtrùm præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, vt ea ipsa, quæ sunt proposita, sint accipienda præscita; an per genera causarum, & species personarum ista varientur: vt quia diuersæ sunt vocationes, in his, qui nihil operaturi saluantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his autem, qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an verò vniformiter, licet diuidi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: & sicut nihil sit, quorumcunque negotiorum, quod non scientia Diuina præuenerit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo authore defluxerit.*

11. Huic quæstioni satisfacit S. Aug. in libris de Prædestinatione Sanct. & de Dono Perseuerantiæ, ex quibus mens eius petenda est. In primis c. 9. de prædest. Sanctorum sic ait: *Illud quod in opusculo meo quodam contra Porphyrium sub titulo, de Tempore Christianæ Religionis, me dixisse recolitis; Ita dixi; vt hanc diligentiorem, & operosiorem disputationem de Gratia præterirem, non sanè omissa significatione, quod eam loco illo explicare noluissem, quæ posset alias, vel ab alijs explicari.* Et postquam produxit textum opusculi citati, sic subdit: *Cernitis nè me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque caussarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videretur? Sed vtrum prædicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, vtrum tantummodo eos præscierit, an etiam prædestinauerit Deus, quærere, ac disserere tunc necessarium non putaui. Proindè quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fu-*

erant credituri. *Posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso antè mundi constitutionem. Sed quoniam si ita diceretur, Lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs, & laboriosius disputari; visum mihi est, quod tunc satis erat breuiter esse dicendum, excepta, vt dixi, altitudine sapientiæ, & scientiæ Dei, & sine præiudicio aliarum causarum, de quibus nõ tunc, sed alias opportunius disputandum putaui.* Hęc ibi. Ex quibus clarè habetur iudicio Augustini posse dici Deum futura conditionata libera præscire in sua prædestinatione. Et ne amplius aliquis dubitet, quid nomine aliarum, seu, vt dicit latentium causarum, intelligat, audiat eundem August. lib. de dono Perseuerantiæ c. 9. vbi postquam prædictum locum lib. de sex quæst. Paganorum citasset, ait: *Hæc certè de Tyro, & Sidone non possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio, tunc ista respondere me dixi.*

12. Deinde in eodem libro cap. 18. sic ait: *Si quæstio proponatur vtrum hos eligat, an potius Sanctos, & immaculatos, quid horum respondeat qui requiratur, ac non statim ferat pro Sanctis, immaculatisque sententiam? Præsciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri essent Sancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium. Et ideò eos antè mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præsciuit, elegit. Elegit ergò, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros Sanctos, immaculatosque præsciuit: vtiquè ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse præuidit. Intueamur ergò verba Apostoli, atque videamus, vtrùm propterea nos elegit ante mundi constitutionem, quia Sancti, & immaculati futuri eramus, an vt essemus? Benedictus, inquit, Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione Spirituali in cælestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti & immaculati. Non ergo, quia futuri eramus, sed vt essemus. Nempè certum est. Nempè manifestum est; ideò quippè tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans vt tales per gratiam eius essemus. Ita ergò nos benedixit benedictione spirituali in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.*

13. Tandem expressè S. Aug. docuit, Deum futura bona opera, quæ præuisa sub conditione asserebant esse Semipelagiani causam prædestinationis, præscire in sua prædestinatione. cap. enim 10. de Prædesti. Sanctorum sic ait: *Prædestinatione Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus*. Et infra eodem cap. *An fortè opera bona gentium Deus promisit Abrahæ in semine ipsius, vt hoc promitteret, quod ipse facit; non autem promisit fidem gentium, quam sibi homines faciunt; sed vt promitteret, quod ipse facit, illam præsciuit homines esse facturos? Non quidem loquitur sic Apostolus.* Capite verò 17. eiusdem libri sic ait: *Si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes; contra istam præscientiam loquitur filius dicens; Non vos me elegistis, sed ego vos elegi; Cùm hoc potius præscierit Deus, quod ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaquè ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit.* Et infra: *Elegit Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erant.* Et iterum: *Rogo quis audiat Dominum dicentem: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi; & audeat dicere, credere homines vt eligantur, cum potius eligantur, vt credant, nè contra sententiam veritatis priores inueniantur elegisse Christum, quibus dicit Christus, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Hæc Aug. Ex quibus sic arguitur. S. Aug. loquitur contra Semipelagianos asserentes de vocatione gentium, quod eis Euangelium prædicatum fuerit, quia præsciebat fidem illarum vtique sub conditione: Et docet quod præsciuit fidem in sua prædestinatione. Indequè refutat errorem prædictum, ergò dicendum est ex mente S. Augustini Deum futura libera conditionata præscire in sua prædestinatione.

14. Libro vero de dono Perseuerantiæ c. 17 ait: *Hæc dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis (in quibus donis est & incipere, credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminum perseuerare; sicut tanta rationum, atque authoritatum contestatione probauimus) hæc inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus.* Cap. verò 24. ait: *In nobis non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præsciuit.*

15. Solent aliqui respondere ad hæc loca, quod S. Aug. scientiā mediam Semipelagianorum reiecerit, eò quod ponebant motiuum

voluntatis diuinæ esse opera præuisa per eam: Insuper initium fidei esse ex nobis asserebant. At id quidem verum est. Sed propter quã causam refutauerit colligitur ex locis citatis, nimirum quia docuit Deũ ea præsciisse in sua prædestinatione, & etiam initium fidei esse donum Dei: & ita non præsciisse merita, sed sua futura facta, & non elegisse, quia fideles, sed vt essent fideles. Maneat ergò probabilissimè dictum S. Aug. mentem, & sensum esse in libris contra Semipelagianos conscriptis, & à sede Apostolica, imò & Ecclesia receptis & approbatis Deum futura libera sub conditione præscire in proposito, siue decreto suo. Hoc enim est, quod quærebant ab illo Prosper & Hilarius: hoc est, quod multoties repetijt: Deniq; nusquã in ijs libris, in quibus ex professo tractabat de scientia Cõditonatorum vel leuiter indicauit Deum futura libera conditionata præscire ante suum propositum: Si enim alicubi debuisset docere scientiam mediam, maximè in his libris. Et si eam docuisset, certe S. Thomas, qui est anima Augustini, eam ex eius libris hausisset & mundo proposuisset, quod vtique minimè apparet. Sed de mente S. Thomæ nihil in præsenti videtur dicendum: Ad cognoscendum enim, eum scientia mediâ nunquam vsum fuisse, neque eam agnouisse, imò etiam implicite reprobasse, sufficit diligens lectio operum ipsius, sententiarum eius intima penetratio, aduersariorum sanè plurimorum confessio, tandem & compendij huius ad normam Angelicæ doctrinæ extructi contemplatio.

16. Cæterum ne consultò subterfugere videamur, profero vnum tantum textum S. Thomæ, qui passim oculis, & manibus legentium teritur, & tamen eius vis, & efficacia à paucis percipitur; quæ, vt appareat: Sciendum, quod Theologi huius temporis conueniunt dari scientiam conditionatorum: Item conueniunt hanc scientiam non esse causam meritoriam prædestinationis electorum. Differunt tamen in hoc, quænam sit ratio, quod opera bona præuisa sub conditione non sint causa prædestinationis. Assertores enim scientiæ mediæ dicunt id esse propterea, quia non possunt mouere diuinam voluntatẽ, cum non minus opera mala præsciantur sub conditione, quam opera bona. Thomistæ verò dicunt hanc esse rationem, quia opera bona, etiam præuisa sub conditione, clauduntur sub decreto, vel prædifini-

tione, siue prædestinatione, & sic non possunt esse caussa prædestinationis. Et ex hoc sciendum vlteriùs, quod assertores scientiæ mediæ necesse habent dicere, vsum liberi arbitrij bonum sub aliqua ratione, & in aliquo signo, vt sic, non esse effectum prædestinationis, nimirū sub qua ratione præcedit eam tanquam conditio sine qua non, præuisa per scientiam mediam. Videamus ergo an id sit conforme menti S.Thomæ. Is ergo 1. p. q. 23. art: 5. in c. sic ait: *Fuerunt, qui dixerunt, quod merita sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis: vt intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinauit se ei daturū, quia præsciuit eum bene vsurum gratia. Sicut si Rex det alicui militi equum, quem scit eo bene vsurum. Sed isti videntur distinxisse inter id, quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio, quasi non possit esse idem ex vtroque. Manifestum est autem, quod id, quod est gratiæ, est prædestinationis effectus: & hoc non potest poni vt ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis, hoc erit præter effectum prædestinationis. Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione: sicut nec est distinctū quod est ex causa secunda, & causa prima. Diuina enim prouidentia producit effectus per operationes caussarum secundarum, vt supra dictum est. Vnde & id quod est per liberum arbitrium est ex prædestinatione.* Ecce apertè S. Thomas negat posse distingui inter id, quod est liberi arbitrij, & prædestinationis, sed bonum vsum liberi arbitrij esse effectum prædestinationis. Potest respondere aliquis discursum S. Thomæ habere locum in absolutis. Sed contra. Primò, quia S. Thomas impugnat dictum de conditionatis. Assertio enim eorum, qui dicunt Deum dare gratiā, quia præscit ea bene vsurum non potest verificari, nisi de præscientia conditionata. Decretum enim de danda gratia nulla scientia absoluta boni effectus, & ex gratia prouenientis, potest præcedere, vt etiam fatentur defensores scientiæ mediæ; idem probat simile de donatione equi, ergo quando docet S.Thomas non posse distingui inter id, quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione, censet bonum vsum liberi arbitrij etiam conditionatum esse effectum prædestinationis. Secundò præterea, inspiciatur quæso energia rationis S.Thomæ. Aut enim formaliter loquendo potest distingui inter vsum liberi arbitrij, quatenus

nus liberi arbitrij, & eundem vsum, quatenus est effectus prædestinationis: Et tunc ratio S. Thomæ nihil valebit: Quia vsus liberi arbitrij in quantum talis sub prædestinatione non concludetur, quia, vt sic non est formaliter effectus prædestinationis, sed potest eam præcedere. Aut certè dicendum quod non potest distingui inter id, quod est ex libero arbitrio, & ex prædestinatione, sed quod vsus bonus liberi arbitrij, etiam formaliter in quantum talis sit effectus prædestinationis; Et tunc per locum ab intrinseco loquendo, necesse est dicere vsum bonum liberi arbitrij etiam conditionatum esse effectum prædestinationis. Idem argumentum eodem modo potest formari de eo, quod est ex causa prima, & ex causa secunda, qua paritate rationis vtitur S. Thomas, vt ex textu citato liquet.

17. Et vt magis clarescat vis rationis S. Thomæ, & ratiocinationis nostræ, probandum est, quod stante assertione scientiæ mediæ non est necessarium dari decretum circa vsum liberi arbitrij in quantum est formaliter talis, sed sufficit eum esse præscitum: Inde enim liquebit secundum aduersarios posse distingui inter id quod est ex prædestinatione, & id quod est ex libero arbitrio, & vsum liberi arbitrij, in quantum talis non necesse esse effectum prædestinationis. Sciendũ ergo quod sicut cuiuslibet conditionalis duæ sunt partes, antecedens scilicet, & consequens, & inter eas est aliquis ordo: ita etiã duo decreta possunt intelligi circa conditionale. Vnum circa positionem antecedentis seu hypothesis, aut conditionis. 2. circa positionem consequentis, seu ipsiusmet rei futuræ: & inter hæc duo decreta est ordo rationis. Si ergo probabitur stante scientia media ad veritatem futuri actus liberi absoluti non requiri decretum circa positionem cõsequentis, sed sufficere decretum circa positionem hypothesis; vtique probatum remanebit vsum liberi arbitrij, in quantum talis est, posse esse præscitum, & non volitum, & consequenter posse distingui inter id, quod est liberi arbitrij, & prædestinationis. Sic ergo probatur assumptum. Futurum conditionatum transit in absolutum purificata sola conditione, ergo posito decreto solo circa positionem hypothesis, per quod purificatur conditio, & præciso alio decreto, futurum, quod erat conditionatum, iam erit absolutum, ergo ad veritatem eius non

requi-

requiritur decretum, quod sit circa ipsummet formaliter. 2. præterea, Iste syllogismus est necessarius, & scientificus; si Petrus vocabitur, Petrus consentiet; sed Petrus vocabitur, ergo Petrus consentiet. Et in hoc syllogismo consequentia necessario in forma sequitur ex præmissis; Ad veritatem autem eius, pro maiori sufficit sola scientia media, quia est obiectum eius: Pro minori sufficit solum decretum circa positionem hypothesis, quia non aliud dicit minor, nisi quod ponatur hypothesis; ergo si de necessitate sequitur consequentia, vt clarè patet, vtique posita sola scientia media, & posito decreto circa hypothesim excluso quocunque alio decreto, futurum absolutum habebit determinatam veritatem. 3. Præterea hoc dicit ipsamet ratio obiecti scientiæ mediæ. Huius enim conditionalis, si Petrus vocabitur, Petrus consentiet, non est sensus: Si Petrus vocabitur, & si Deus decreuerit consensum Petri, Petrus consentiet. Nam aliàs hæc conditionalis esset illatiua, & consequentia eius necessaria, & sic obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ: neq; est sensus, quod, si Petrus vocabitur, Deus decernet eius consensum; & ita Petrus consentiet: Nam hoc modo veritas futuri sub conditione supponeret decretum Dei. Sed est sensus, quod si Deus vocauerit Petrum, & obtulerit suum concursum quantum in se est, per decretum, vt aiunt, conditionatum, Petrus consentiet. Ita quod consequens non videatur vi visionis antecedentis, sed immediatè in seipso. Ergo veritas futuri, vt futurum est non requirit decretum determinatum circa se. Quod si ita est, ergo potest vsus liberi arbitrij sub aliqua ratione per locum ab intrinseco loquendo, esse tantum præscitus, & non volitus: & ita in eo poterit distingui id, quod est liberi arbitrij, & quod est prædestinationis, & sub aliqua ratione non concludi sub prædestinatione. Sed iam ratio S. Thomæ nihil valebit.

18 Non solum autem scientia media aduersatur placitis Sanctorũ Patrum Augustini & Thomæ, quorum maximè in præsenti controuersia calculo Theologorum, imo Summorum Pontificum, & Ecclesiæ probata est authoritas: sed etiam ita repugnat consensui antiquorum Theologorum, præcipuè Thomistarum, vt posita ea necesse sit vniuersam planè Theologiam præcipuè Thomisticam perturbari, &

inuerti. Quod inductione percurrendo tres partes S. Thomæ, Materias, inquam, de Scientia, Voluntate, Prouidentia, Prædestinatione, Reprobatione, Potentia, Creatione, Gubernatione, Motione, Gratia Dei, de Angelis, de Christo, seu Incarnatione, de Actibus humanis, de Virtutibus, de donis, de Peccatis imo & de ipsa Trinitate, manifestum fieret, nisi breuitas compendij interim prohiberet, & spes ista fusius alias pertractandi coerceret. Quæ duo etiam faciunt, vt non demonstretur pro nunc, quomodo scientia media non cohæreat cum recta ratione. Non tamen ita supersedendum videtur, quin manifestetur vsum scientię mediæ nullum esse, quod patebit discurrendo per singula capita necessitatis eius apparentis.

19. Inprimis ergo scientia media non est necessaria ad saluandam libertatem, quod patet inde. stante enim scientia media, necesse tamē erit fateri necessitatem, vt vocant aduersarij, antecedentem: quod probatur; ex decreto enim Dei præcisè sumpto, quatenus formaliter distinguitur à scientia media, etiamsi ea nulla esset, adhuc prouenit immutabilitas & infallibilitas in futuris contingentibus ad vtrumlibet: Ita quod præter infallibilitatem scientiæ mediæ necesse sit fateri aliam infallibilitatem ex decreto Diuino prouenientem, quæ ex ratione sui intrinseca non respiciat infallibilitatem scientiæ mędiæ, quia præcisa per impossibile scientia media, adhuc est reperire eam; quod patet vel ex confessione ipsorummet aduersariorum, qui contra Thomistas negantes scientiam mediam, inferunt debere eos concedere necessitatem antecedentem prouenientem ex prædefinitionibus Diuinis. Patet & ex ipsamet ratione. Voluntas enim Dei præcise, & formaliter, & secundum sui tantum rationem intrinsecam sumpta, etiam excluso omni respectu ad scientiam mediam est indefectibilis, immutabilis, & necessaria, vt ex infra dicendis patebit de Prædestinatione, ergo quantum est de se in rebus volitis á se infert infallibilitatem distinctam ab infallibilitate scientiæ mediæ. Atqui hæc infallibilitas erit necessitas antecedens; necessitas, quia infallibilitas; antecedens, quia, vt sic, à priori aliud præsuppositum non exigente; ergo ex voluntate Dei, quātum est de se, erit necessitas antecedens in actibus humanis. Nec valet, si dicatur, voluntatem Dei sine scientia media non esse infallibilé,

quia

quia eius oppositum infra monstrabitur. Neque item valet si dicatur, quod infallibilitas voluntatis Diuinæ essentialiter connotat infallibilitatem scientiæ mediæ: dictum est enim, quod etiam excluso respectu ad scientiam mediam, & quamuis ea nulla esset, voluntas Dei ab intrinseco sui est infallibilis. Neque item valet, si dicatur, quod quia Deus vult hoc fieri, ideo ponit in hypothesi, in qua præcognouit fieri: quia etiam ex hoc ipso præcisè, quod Deus vult fieri, & vult adaptare omnes causas proximas necessarias ad fieri actus, etiam exclusa præcognitione futurorum conditionatorum ante decretum Dei, infallibiliter fiet actus, propter infallibilitatem voluntatis Diuinæ ei ex natura sua intrinsece conuenientem. Et quod caput est, ad libertatem actus humani, non requiritur quod voluntas creata ponatur in aliqua Hypothesi præcognita habitura effectum per scientiam mediam. Si enim hoc esset, sequeretur, quod ad scientiam mediam præsupponeretur alia scientia media, & sic esset processus in infinitum; vel certè, quod per scientiam mediam non cognoscerentur actus liberi. Quod deducitur sic arguendo. Quæritur an ad libertatem, vt libertas est, requiratur positio in hypothesi præcognita habitura effectum per scientiam mediam, an non requiratur? si non requiritur: habetur intentum; videlicet, sufficere ad actum liberum, vt voluntas diuina velit eum, & applicet ei causas proximas contingentes secundum discursum Sancti Thomæ. Si requiritur; ergo quia per scientiam mediam cognoscitur actus liber, necesse est quod ante eum præcognoscatur positio hypothesis præcognitæ habituræ effectum, & sic in infinitum: quod vtique est absurdum. Quod argumentum vt patentius fiat: Aduertendum est, quod vt per scientiam mediam cognoscantur actus liberi, quatenus liberi, non est necesse ad libertatem eorum, vt cognoscatur voluntas creata posita in hypothesi præuisa per scientiam mediam operatura: Aliàs, vt dictum est, esset processus in infinitum. Ergo ad libertatem creatam, vt libertas est, nō requiritur positio in hypothesi præuisa per scientiam mediam: Nam in quocunq; signo esset libertas, reperiretur illud requisitum, quod non est sic. Ergo ad hoc, vt sit liber actus volitus à Deo, non requiritur ad eius libertatem, quod voluntas ponatur in hypothesi præuisa per scientiam mediam. Sed id amplius sic probatur.

tur. Si ad libertatem, vt libertas eſt, requiretur ſcientia media. Ergo etiam ad libertatem decretorum diuinorum requiretur præſcienta eorundem ſub conditione futurorum. Reſpondeant hic aduerſarij & dicant quid ſentiunt: an ad libertatem actuum diuinæ voluntatis requiratur prę́ſcientia conditionata eorumdem prius ratione antequam ſint. Si non requiritur; ergo ad ſaluandam libertatem vt libertas eſt non eſt neceſſaria ſcientia media. Si requiritur: contra eſt quod quidam ex eis docent, Dei decreta non eſſe determinatè ſcibilia prius ratione quam ſint: & id conforme eſt rationi, quia de eſſentia diuinorum decretorũ eſt exiſtentia actualis & conſequenter præſentia. Roboratur amplius intentum. Si ad ſaluandam libertatem creatam neceſſaria eſt ſcientia media, deſtruet libertatem Diuinam ea ipſa ſcientia media. Decreta enim diuina erunt neceſſaria ex ſuppoſitione aliqua antecedente videlicet ex veritate futurorum contingentium ad vtrumlibet: Non ergo erunt libera ſecundum aduerſarios, qui docent, quod actus ex ſuppoſitione antecedenti neceſſarius, eſt abſolutè neceſſarius, & nulla ratione liber. Imprimis enim decreta diuina erunt neceſſaria quoad exercitiũ, quia ſi futura conditionata contingentia ad vtrumlibet habent determinatam veritatem ante decretum Dei, etiam futura abſoluta eodem modo habebunt determinatam veritatem ante decretum Dei: quod patet ex conceſſione aliquorum Doctorum aduerſæ partis: & ex modo probandi quo vtuntur omnes, quando docent eundem eſſe modum cognitionis, in omnibus futuris, ſiue abſolutis, ſiue conditionatis, & eandem eſſe rationem propter quam Deus cognoſcit futura abſoluta, & futura ſub conditione; imò nullum eſſe diſcrimen inter propoſitiones de futuro abſoluto, & propoſitiones de fututo ſub conditione in ordine ad ſcibilitatem: vnde ex cognitione abſolutorũ arguunt ad cognitionem futurorum ſub conditione. & reuera bene diſcurrunt: Futurum enim ſub conditione non differt ab abſoluto niſi ſola conditione, quæ conditio nihil ponit in re, & non immutat ſubſtantiam rei, ſed ſolum facit differre differentia quadam accidentali non eſſentiali: non ergo infert ſcibilitatem diſtinctam eſſentialiter & formaliter à ſcibilitate futuri abſoluti. Patet etiam ex eo, quia argumenta aduerſariorum, quibus probãt contra Ariſtotelem propoſitiones

tiones singulares de futuro contingenti ad vtrumlibet, habere determinatam veritatem & falsitatem pro quocunq; signo rationis, etiam ante decretum Dei, æquè probant de propositionibus absolutis, ac de propositionibus conditionatis: quod inductione pateret, nisi breuitas prohiberet. Sed iam si futura absoluta habent determinatam veritatem ante decretum Dei: vtiq; decretum Dei necessitabitur ex hac veritate tanquam ex aliquo antecedenti ad actuale exercitium: non enim potest Deus immutare veritatem propositionum, quæ sunt veræ ante decretum suum. Sed quidquid sit de necessitate quo ad exercitium: saltem necesse est omnino fateri, necessitatem antecedentem in decretis diuinis quoad speciem. In illa enim hypothesi in qua Deus prævidit Petrum verbi gratia dissensurum adhuc ante decretum suum, impossibile est in aliquo sensu quod faciat eum consentire. Sed hæc impossibilitas est ex aliquo antecedenti, videlicet ex veritate futuri sub conditione. Ergo est necessitas antecedens & consequenter arguendo ad hominem repugnans libertati decreti Diuini. Neq; valet si dicatur, liberum esse Deo ponere vel non ponere in hypothesi: & tunc quando ponit iam decretum de effectu, supponit aliud decretum videlicet de positione hypothesis. Sed contra est. argumentum enim positum nō procedit de libertate quoad exercitium, sed quoad speciem: euasio autem videtur monstrare libertatem quoad exercitium, non quoad speciem. Et vt appareat vis argumenti: rememorandum est illud quod supra dictum est. quod sicut propositio conditionalis duas habet partes, antecedens scilicet & consequens: ita duo decreta possunt circa eam intelligi, videlicet circa positionem antecedentis seu hypothesis, & circa positionem huius consequentis. Sed sicut in propositione conditionali non necessario sequitur hoc consequens ad antecedens, & in vi illationis, sed solum per quandam concomitantiam: ita neque necessario & in vi illationis decretum de hoc consequenti sequitur ad decretum de antecedenti, sed solum per quandam concomitantiam: sequitur tamen idem decretum de hoc consequenti, necessario ad veritatem futuri sub conditione, quam habet ante se. Ergo necessario necessitate antecedenti, & sic non liberè. Non ergo iuuat aduersarios, quod decretum de hoc consequenti, supponat decretum de antecedenti,

denti, quia non necessario sequitur ad illud vt sit de hac specie. Sequitur tamen necessario, vt sit de hac specie ad præcognitionem antecedentem: & sic necessarium erit necessitate antecedenti, vt sic de tali specie. Simpliciter ergo & absolutè loquendo, non potest Deus in hac hypothesi, in qua præuidit Petrum dissensurum, facere vt consentiat. Neque valet, si dicatur, Deum posse ponere Petrum in alia hypothesi, & sic facere, vt Petrus consentiat. Contra enim est: quia tractatur de vna eademque hypothesi, in qua si Petrus ita prænoscitur dissensurus quod potest consentire, quia liberè dissensurus, ergo multo magis Deus in vna eademque hypothesi potest facere quod Petrus consentiat: non enim potest dici quod aliquid creatura possit, quod Deus non posset: Iam autem probatum est, quod Deus non potest. Extenditur magis hoc argumentum sic. Deus sic potest consensum Petri actu dissentientis causare, quod potest ponere in hypothesi. vel ergo in alia: & tunc extra argumentum: vel in eadem de qua sermo: & tunc Petrus nunquam consentiet, quia dissensurus est, & est impossibilitas consensus in sensu composito, vt clarum est. Ergo Deus etiam ex suppositione huius impossibilitatis non potest facere. Atqui non ex suppositione sui, sed ex suppositione veritatis creatæ, & ex alio distincto à se, & priori quam sit decretum suum. Ergo necessitas antecedens, & consequenter impossibilitas simpliciter. Idem argumentum amplius sic roboratur. Aut enim in illa hypothesi in qua Deus præsciuit Petrum dissensurum, potest facere quod consentiat, aut non. Si non: vtique non erit potens. Si sic, contra: quia posito possibili in esse, nullum sequitur inconueniens & impossibile, vt aiunt aduersarij: tunc autem sequeretur; non enim liberè creatura consentiret: quia non ex præuisa sua operatione actuali, non enim est præuisa, imo oppositum eius præuisum est, & non esse consensus: non erit ergo necessitas consequens, & sic neque libertas. Non ergo faceret Deus quod liberè consentiret: & sic neque poterit facere quod liberè consentiat; consequenter Deus non erit liber quoad speciem: quia in hac hypothesi sic causat vnam speciem, quod non potest aliam causare impossibilitate ex aliquo antecedenti proueniente. Sed iam patet, quomodo scientia media, dum vult stabilire libertatem creatam, euertit libertatem

Dei

Dei quod maius est. Imo simul euertit & libertatem creaturæ secundum aduersarios, qui docent, quod libertas Dei est conditio sine qua non esset libertas creata, taliter, quod si Deus esset agens ex necessitate naturæ, vt docuit Aristoteles, nulla esset contingentia in actibus humanis. Non ergo necessaria est scientia media ad saluandam libertatem creatam.

20. Vlterius scientia media non est necessaria ad hoc, vt ostendatur reprobos habere sufficientia auxilia pro conuersione: imo stante scientia media, multo magis sequitur homines non habere auxilia sufficientia, quam exclusa illa, recurrendo ad solas prędefinitiones Diuinas. Similiter scientia media, non potest demonstrare quod Deo non imputentur peccata hominum: imo ex vi argumentorum sequitur, Deũ esse authorem peccati, si datur scientia media. Quæ omnia etiam modo ostenderētur, nisi compediositas tractatus omnino frænum inijceret. Sufficiat interim sustinere, nullum esse vsum scientiæ mediæ.

Sed neq; scientia media habet argumenta firma quibus fulciatur. Quod patet producendo præcipua loca Sacræ Scripturæ, quibus aduersarij nituntur. Ille enim locus Mathęi 11. *Si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*: præter multas alias solutiones potest probabilissimè loquendo exponi, vt intelligatur futurum liberum sub conditione prædictum, secundum quod erat in dispositione & collectione suarum causarum. Quæ expositio colligitur ex S. Augustino de Dono perseuerantiæ cap. 14. *Ex quo apparet*, inquit, *habere quosdam in ipso ingenio Diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba vel signo conspiciant*; Et infra: *Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Syriorum & Sydoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent.* Hæc Augustinus. Ex quibus patet quod Deus intuendo cor non excæcatum neq; induratum, & proportionem vocationis cũ naturali munere intelligentiæ, potuit præuidere vocationem suam in corde Tyriorum & Sydoniorum præponderaturam fuisse, si data esset, & consequenter potuit prædicere consensum futurum quantum est ex vi dispositionis caussarum: futurum enim contingens ad vtrumlibet, in quantum est in dispositione & collectione suarum cau-

ſarum poteſt certò præſciri & prædici, vt ſupra dictum eſt, & S. Thomas ſæpiſſimè docet in materia de Prophetia. Merito quoq; increpātur Iudæi quia maiora impedimenta poſuerunt gratiæ, vt pote propria malitia obdurati, quæ obduratio non erat in Tyrijs & Sydonijs. Eodē modo poſſunt exponi multa alia loca ſcripturæ, quæ phraſi Auguſtini enuntiata ſunt ſecundum pericula huius vitæ: talia enim commodiſſimè poſſunt intelligi de prædictione futurorum liberorum in ſuis cauſis collectiuè ſumptis, qua ratione cognoſcuntur à Deo in quantum Deus videt pro hic vel nunc penſatis omnibus ſingularibus hoc vel aliud obiectum præponderaturum, & conſequenter voluntatem hoc vel aliud electuram. Eadem ratione poteſt intelligi dictum Auguſtini ad Simplicianum quæſt. 2. *Cuius miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, vt vocantem non reſpuat.* Mirum eſt enim, quod ſtatim ac auribus defenſorum ſcientiæ mediæ inſonat hoc verbum ſcientia, ſtatim videatur eſſe ſcietia media, ac ſi nulla eſſet alia ſcientia Dei. Deus igitur etiam per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ nouit non ſolum poſſibilia, ſed etiam ordinem, proportionem & conuenientiam vel repugnantiā eorum ad inuicem, & per reſpectum ad aliquem finem. Scit igitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quis poſita tali cōbinatione poſſibilium potius ſit poſſibilis effectus quam alius. Et ideo quādo actu facit, ita facit prout prænouit per ſcientiam ſimplicis intelligentię res ſibi cohærere ſeu congruere, & habere proportionē ad inuicem in aliquem finē. Eadem ratione debet explicari locus S. Thomæ, vbi docet prouidentiā Dei ſumere ſuam certitudinem à ſapientia diuinæ diſpoſitionis; quæ vias ſufficientes ad effectum conſequendum adinuenit. Per hanc enim ſapientiā diuinæ diſpoſitionis intelligitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Et rurſum S. Thomas agnouit clarè quod Deus in concurſu multarum cauſarum contingentium cognoſcit certò effectum futurum contingentem ad vtrumlibet, vt patet ex quæſt. 6. de Verit. ar. 3. in Cor. & in 1. Senten. ad Annibal. diſtinct. 40. art: 2. vbi ait, quod omnia *ſimul collecta certum ordinem habent ad conſecutionem ſalutis*, Videatur.

22 Alius locus ex 1. Reg: 23. *Si deſcendet Saul viri Ceilæ, tradent, &c.* expreſſè exponitur à Gloſſ. interlineari hoc modo; Tradent, id eſt, in vo-

in voluntate habent vt tradant: quod vtiq; est obiectum scientiæ visionis: & sic non patrocinatur scientiæ mediæ.

Plura alia loca similis farinæ, & authoritates SS. Patrum ad idem, & argumenta à ratione piget referre: quia vel ex prædictis facilè soluuntur, vel modicam habent difficultatem, vel etiam angustia præsentis tractationis ea proponere & soluere vetat: sufficiat principaliora tetigisse. Sed iam ex dictis patet, an possit subsistere scientia media ab authoritate & ratione.

23 Cæterùm, qui voluerit defendere scientiam mediã, oportet quod defendat Deum alia à se cognoscere, non in seipso tanquam causa & obiecto prius cognito; sed immediatè in seipsis. Necesse est enim dicere Assertores scientiæ mediæ, quod Deus possibilia non cognoscat in sua potentia propter hoc argumentum. Quod Deus possit causare actum liberum creatum, inuoluit quod possit ponere in hypothesi præuisa per scientiam mediam: & ita supponit: posse præscire. Posse præscire supponit possibilitatem actus liberi creati. Sicut enim se habet actualis scientia media ad actuale obiectum, ita possibilis scientia media ad suum possibile obiectum. Sed actualis scientia media supponit suum obiectum actuale: quia ideo scitur aliquid per eam quia futurum est; non è conuerso. Ergo & possibilis scientia supponit suũ possibile obiectũ. Ergo de primo ad vltimũ, & potentia Dei supponit aliquid creatum possibile: quod vtique est absurdum, quod ante potentiam Dei sit aliquid possibile. Confirmatur hoc argumentum. Quod Deus actu causet actum liberum creatum, inuoluit quod actu ponat in hypothesi præuisa; & ita supponit actualem scientiam mediã: Actualis scientia media supponit actuale obiectum: & consequenter verum est quod ante decretum Dei futurum sub conditione habet determinatam veritatem. Sed posse causare, est posse illud quod est actu causare. Ergo posse causare supponit veritatem determinatam futuri contingentis possibilis ante decretum Dei: quod videtur absurdum, vt dictum est. Amplius confirmatur: Aut enim ideo est possibilis actus liber, quia Deus potest illum causare: aut è contra ideo Deus potest illum causare, quia est possibilis. Si primum non erit libertas in actu possibili creato, secundum aduersarios, quia erit necessitas antecedens

cedens: & tamen ita videtur dicendum: ex eo enim quod diuina essentia est hoc vel illo modo participabilis, est possibilis hæc vel illa species; & omnis cognitio est per Idæam: & veritas rerum creatarum est per prius in mente diuina, quàm in rebus creatis, quæ sunt veræ per conformitatem ad scientiam Dei, vt mensuram suam. Si secundũ: ergo prius erit possibile futurum quàm potentia Dei: & sic habetur intentum: videlicet quod assertores scientiæ mediæ debeant dicere Deũ futura possibilia non cognoscere in sua potentia.

24. Quamuis positio de scientia media displiceat, tamen exercitij solius gratia, & pro præsenti tantum actu disputationis; non secundum mentem SS. Augustini & Thomæ, sed eo modo quo præcipuus ex inuentoribus, seu potius instauratoribus scientiæ mediæ, dicit se eam in nullo quem viderit Authore legisse, S. Augustino, & S. Thomæ, & alijs SS. Patribus incognitam fuisse, defendetur; ita etiam quod neque ad rationes in hoc Tractatu positas soluendas aliquis cogat,



DE VOLVNTATE DEI.

1. IN Deo non est voluntas per modum principij seu potentiæ, nisi secundùm modũ intelligẽdi, non secundũ rei veritatem, sed solum vt actio. Sicut enim, ex eo quod Deus est actus purissimus, essentia Dei est suum esse, & essentia non est principium essendi: ita propter eandem maximam actualitatem voluntas Dei est, suum velle, & voluntas non est principium volendi, quia & voluntas Dei est suum esse. Idem de intellectu Diuino dicendum. Et quia potentia Diuina formaliter est intellectus & voluntas: ideò & potentia Diuina dicitur de Deo per respectum ad facta secundùm rei veritatem, non per respectum ad actionem. Non enim Deus agit actione ad extra, tunc quando agit immediatione sui suppositi, & immediatione virtutis, sed suum intelligere, & suum velle est agere. Vnde infertur, quod dependentia effectus creati à Deo, est dependentia ab actione, seu dependentia à velle Dei vt est actio: quia potentia Dei realiter & formaliter est sua actio, seu voluntas realiter & formaliter est suum velle.

2. Quid sit velle, seu decretum Dei, ita est difficilè æstimare, vt aliquibus Theologis visum sit impossibile. Placet ratiocinatio eorum qui dicunt. Quod velle Dei per priùs refertur ad primarium obiectum quod est bonitas Diuina, naturaliter & necessario: ad secundaria verò obiecta, non nisi propter primarium: & quia bonitas Diuina ex sua natura non est ad bonitatem creaturarum determinata, & non necessariam cum eis connexionem habet, ideò velle Dei refertur ad obiecta existentia liberè, ita quod possit non referri. Sic ergo velle Dei liberum, est actus Dei necessarius quo vult seipsum, cum habitudine libera ad creaturas, quæ potest esse & non esse. Non est essentia Dei nudè sumpta, sed per modum actus sequentis intellectionem concepta: neque est pura relatio, sed est perfectio naturalis Dei, & quam necesse est simpliciter esse quatenus respicit primum obiectum, terminata ad creaturas, ita quod possit non extendi & determinari ad eas. Et quia perfectio

actus non desumitur ex secundario & consequenti, sed ex primario obiecto: ideò actus liber vt liber est, quia refertur vt sic tantùm ad secundarium obiectũ, non dicit perfectionẽ aut imperfectionẽ, & ita nulla est perfectio, quæ possit in Deo non esse: sed actui libero conuenit perfectio, ex eo tantùm quod simul est actus necessarius circa Diuinam bonitatem. Perfectio ergo actus Diuini liberi licet sit perfectio libertatis, non tamen est perfectio libera, quæ possit esse & non esse; sed est perfectio necessaria & naturalis. Eo modo quo in simili de relationibus Diuinis dicitur. Relatio enim est perfectio, quia est essentia Diuina, non quia est relatio: & sic licet sit in Deo perfectio relationis, non tamen perfectio aliqua relatiua vt sic est in vna persona, quæ non sit in alia: ideo nulla perfectio deficit vni personæ quæ sit in alia: ita actus liber dicit perfectionem, quia est actus necessarius circa Diuinam bonitatem primariò volitam, non quia est actus liber: & sic licet in Deo sit perfectio libertatis, non tamen est aliqua perfectio libera, quæ possit esse & non esse: ideo nulla perfectio potest deesse Deo, neque enim perfectio libertatis potest deesse Deo.

3. Voluntas Dei alia est signi, alia beneplaciti: & hæc alia est antecedens, alia consequens. Disceptant autem Theologi, an voluntas antecedens reperiatur in Deo formaliter, an verò tantùm eminenter. Secundùm mentem Augustini, omninò videtur dicendum, quod voluntas antecedens secundùm se, & precisè sumpta (vt infra dicetur) non reperiatur formaliter in Deo. Ipse enim (vt palam constat doctrinæ eius diligentibus scrutatoribus) nullam agnouit in Deo voluntatem inefficacem ex illo loco scripturæ: Omnia quæcunque voluit fecit. ideò & illum alium; Deus vult omnes homines saluos fieri, exposuit vt intelligatur, vel secundùm accomodam distributionem, hoc est, vult saluos fieri omnes homines qui saluantur; vel secundùm distributionem pro generibus singulorum, non pro singulis generum, vt sit sensus: Deus vult de quolibet statu hominum saluos fieri, non tamen omnes de singulis statibus: vel certè Deus vult omnes homines saluos fieri, id est, nos facit velle, sicut misit Spiritum Filij sui clamantem: Abba, Pa-

ba, Pater, id est nos clamare facientem. Non ergo Augustinus agnouit voluntatem antecedentem formaliter & præcisè sumptam: ideo & Sanctus Thomas nunquam Augustino, sed Damasceno eam attribuit.

4. Quæres: An possit Augustinus conciliari Damasceno, vt non videantur dissidere? Respondetur, id fortassis fieri posse, si dicatur: quod absolutè & simpliciter loquendo; Omnis voluntas Dei est efficax: sicut etiam S. Thomas docuit simpliciter loquendo, omnem prouidentiam Dei esse efficacem respectu effectus præuisi: tamen non inconuenit dicere, quod voluntas quæ respectu proximi effectus est efficax, respectu vlterioris sit inefficax: sicut non inconuenit dicere, quod prouidentia Dei respectu alicuius finis, non sit efficax, vt deinde dicetur. Quod patet ex alio simili. Omnis operatio Dei actualis, respectu immediati effectus est efficax, tamen respectu vlterioris potest esse inefficax: sicut auxilium actuale, quod est gratia excitans, est simpliciter efficax, respectu actuum indeliberatorum à se productorum, tamen respectu aliorum actuum deliberatorum potest esse inefficax.

Ita quoque potest dici, quod omnis voluntas Dei respectu proximi & immediati effectus sit simpliciter efficax, quia nulla omnino est in Deo voluntas, quæ non habeat aliquem effectum: tamen respectu vlterioris effectus, vel respectu assecutionis vlterioris finis potest dici inefficax. Exempli gratia. Quæ est enim voluntas, qua Deus vult hominem hunc, qui aliâs est reprobus, saluari? Quia nimirùm voluit illum creare ad imaginem & similitudinem suam capacem beatitudinis: atqui hæc est voluntas simpliciter efficax: quia item voluit ei dare auxilia sufficientia: atqui & hæc voluntas est simpliciter efficax, habet enim pro effectu auxilia sufficientia, quæ & respectu sui immediati effectus sunt simpliciter efficacia, vt dictum est, & postea dicetur, respectu verò vlterioris effectus dicuntur sufficientia. Sic ergo voluntas hominem reprobum saluandi, est simpliciter voluntas efficax, quamuis in ordine ad vlteriorem effectum, seù finem, sit inefficax. Quod videtur conforme etiam menti S. Thomæ, qui absolutè docuit ordinem Diui-

 næ pro-

næ prouidentiæ eſſe certum immobilem & indiſſolubilem, quantùm ad effectus aſſecutionem, etiamſi aliàs reſpectu alicuius effectus non ſit efficax. Sed iam ſic voluntas antecedens ſeù inefficax, reperietur quidem in Deo formaliter, quia eſt voluntas efficax reſpectu alicuius effectus; ſed non reperitur in Deo formaliter præciſè & nudè abſq; adminiculo, ſeù vnione aut potiùs identitate voluntatis efficacis.

5. Prima radix contingentiæ eſt ſumma efficacia Diuinæ voluntatis, cuius cauſalitas extenditur non ſolùm ad ens, ſed etiam ad modos entis, & ideo ex Diuina voluntate prouenit, quod quædam eueniunt neceſſariò, quædam contingenter: ac proinde Diuina voluntas non tollit, ſed potiùs ponit contingentiam & voluntatem. Quod adeò verùm eſt, quod etiamſi Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ & non liberè, adhuc eſſet contingentia in rebus. Vtrumque enim docuit Ariſtotel: & mundum à Deo proceſſiſſe ex neceſſitate naturæ, & contingentiam inueniri in rebus creatis: & quamuis in primo dicto errauerit, non tamen duo contradictoria docuit. Libertas ergo Diuina neque eſt radix contingentiæ, neque conditio ſine qua non eſſet contingentia.

6. Non rectè argumentantur ij ad deſtruendam libertatem excluſa ſcientia media qui ſic procedunt. Omne volitum à Deo neceſſarium eſt eſſe. Sed actus humani ſunt voliti à Deo: ergo neceſſarium eſt quod ſint. Ergo non eueniunt contingenter, nam contingens non eſt neceſſarium eſſe. Hoc enim argumentum retorquetur contra ipſos taliter. Omne volitum à Deo neceſſarium eſt eſſe. Sed actus humani, & libertas eorum ambo ſunt volita à Deo. Ergo neceſſarium eſt eſſe actus humanos, & in eis etiam libertatem eſſe neceſſarium eſt. Minor eſt clara: non enim Deus ſolum vult ſubſtantiam entis, ſed etiam modum entis, quia & modus entis eſt aliquid in rerum natura. Ex voluntate ergo Diuina ſequitur, non ſolùm ſubſtantia actus, ſed etiam modus eius, quia vtriuſque eſt cauſa. Tantùm ergo abeſt quod per Diuinam voluntatem, quantum eſt ex ipſa, tollatur libertas, vt potiùs per eam ponatur. Qui eſt diſcurſus S. Thomæ quo nunquam aduerſarij vtuntur ad

tur ad

tur ad conciliandam libertatem creatam cum voluntate Diuina.

7. Sed inquiunt defensores scientiæ mediæ. Necessitas antecedens, ex mente Anselmi tollit libertatem. Est autem necessitas antecedens quæ est à priori vt sic. A voluntate ergo Diuina exclusa scientia media, sequitur necessitas antecedens, & consequenter tollens libertatem. Hoc argumentũ quod est Achylles aduersariorum refert Sanctus Thomas sub nomine Stoicorum 1. Perihermias lect: 14. & sub nomine Auicennæ q. 23. de Veritate art: 5. loco 1. Hi enim sic arguebant: Posita causa sufficienti & per se seù necessaria, necesse est effectum poni. Ergo non est contingentia in rebus. Idem argumentum sibi proponit Sanctus Thomas 1. p. q. 19. a. 8. loco 3. Illùd quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolutè. Sed res creatæ à Deo comparantur ad voluntatem Diuinam, sicut ad aliquid prius à quo habent necessitatem. Ergo omne quod Deus vult, est necessarium absolutè. Idem argumentum proponitur sub aliis terminis à S. Thoma q. 2. de Veritate art: 12. loco 4. quia secùndum Philosophum ex 10. Priorum. Ex maiori de necessario, & minori de inesse non sequitur conclusio nisi de necessario. Idem etiam argumentum est, quod toties à S. Thoma proponitur. Videlicet quod in omni conditionali vera, si antecedens est necessarium absolutè, & consequens est necessarium absolutè. Non est ergo nouum argumentum ex auctoritate Anselmi depromptum: sed & solutiones eius satis sunt antiquæ. Sanctus Thomas multipliciter soluit; quamuis res in idem coincidere videatur. Primo dicit: Quod necessitas absoluta est illa, quæ sequitur à causa proxima necessaria, non autem à causa suprema & vniuersali: Necessitas enim & contingentia effectus sequuntur conditiones causæ proximæ, non causæ supremæ. Et ideo licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem, sicut patet de germinatione plantæ respectu solis: & in rationalibus, si maior est necessaria, minor contingens, conclusio sequitur contingens. Ratio huius est. Nam causa vniuersalis, scilicet voluntas Diuina extra ordinem entium existens, est velut causa perfundens omne

 ens,

ens, & omnes eius differentias. Sunt autem differentiæ entis, contingens, & necessarium : & ideo ex ipsa voluntate Diuina originantur, necessitas, & contingentia in rebus, & distinctio vtriusque secundum rationem proximarum causarum. Hoc autem non potest dici de voluntate humana, nec de aliqua alia causa, quia omnis alia causa cadit iam sub ordine necessitatis, vel contingentiæ : & ideo de necessitate si est causa necessaria, operatur necessariò; si est causa contingens, operatur contingenter. 2. Dicit Sanctus Thomas: Quod posteriora habent necessitatem à prioribus secundùm modum priorum. Vnde & ea quæ fiunt à volutate Diuina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet, vel absolutã, vel conditionalem tantùm. Et sic non omnia sunt necessaria absolutè. 3. Dicit Sanctus Thomas q. 23. de Veritate art: 5. ad 1. *Quod ratio illa sequitur in causis agentibus de necessitate naturæ, & quantum ad effectus immediatos: sed in causis voluntariis non sequitur : quia ex voluntate sequitur aliquid eo modo, quo voluntas disponit, & non eo modo quo voluntas habet esse, sicut accidit in causis naturalibus in quibus attenditur assimilatio quantum ad eandem conditionem causæ, & causati, cum tamen in causis voluntariis attendatur assimilatio secundum quod in effectu impletur voluntas agentis, vt dictum est, nec etiam in causis naturalibus sequitur quantum ad effectus mediatos.* Ecce quam multiplex solutio dictæ maximæ S. Anselmi : & quãuis idem fere sonare videantur, magis tamen arridet illa limitatio quod necessitas quæ est ex causa proxima, sit necessitas absoluta, non autem necessitas, quæ est ex causa suprema, & vniuersali.

DE PROVIDENTIA DEI.

1. PRouidentia, est ratio ordinis rerum in finem, præceptiua, formaliter ergo est in intellectu, sed præsupponit voluntatem. Huic necesse est omnia subdi in quantum participant esse, non solum quantùm ad principia speciei, sed etiam quantùm ad indiuiduantia principia, non solum corruptibilium sed etiam incorruptibilium, etiam futura contingentia ad vtrumlibet non solùm in communi, sed etiam in particulari, & secundum omnes circumstantias: ita quod

ita quod necesse est omnes effectus in esse entis à Deo esse intentos vt producerentur, & Deum præparâsse nexum causarum, ex quibus euenirent, nec sufficit quosdam tantum esse præuisos & permissos, vt quidam docent de malis pænæ. Omnia ergo Entia cuiuscunq; ordinis, in quantum entia sunt, à Deo sunt præordinata & prædefinita: vera est enim regula S. Thomæ, quod tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis: vt mirum sit quendam scripsisse, nullam esse talem regulam Catholicorum Theologorum, quamuis à Luteranis & Caluinistis sit facile admittenda: cum tamen eam expresse habeat S. Thom: 1. p. q. 22. art: 2. in Corp.

2. Quia ergo causalitas Dei extendit se ad actus peccati vt actus sunt, necesse est etiam quod præordinatio in finem siue prædefinitio extendat se ad eosdem actus peccati vt actus sunt. Diuersimodè tamen prædefinitio Dei versatur circa actus bonos moraliter, & circa actus peccati. Pro cuius rei intelligentia sciendum. Quod actus humanus in duplici genere collocatur, vel in genere moris, vel in genere naturæ: sicut etiam causa actus humani in duplici genere collocatur, est enim & agens Physicum & agens morale. Sic ergo actus peccati duplicem habet speciẽ; aliã in genere moris, aliam in genere Physico. Sciendum item quod agens morale aliud est efficiens, aliud deficiens. Actus ergo peccati vt peccati in genere moris, non reducitur nisi in causam moralem quatenus deficiens est. Sciendum vlterius quod nulli actui, in genere naturæ, est intrinsecè annexa malitia in quantum procedit à sua causa vt agente Physico: sed annectitur ei in quantum procedit à causa morali deficiente. Diuersi enim status sunt actus humani: vnde est quod potest esse vnus actus specie in genere naturæ, & multiplex in genere moris; & è conuerso potest esse vnus actus specie in genere moris, & multiplex in genere naturæ: propter hoc quia diuersa est comparatio actus ad causam vt est agens morale, & ad causam vt est agens Physicum. Non ergo annexa est malitia actui quatenus procedit ab agente Physico, sed solum quatenus procedit à causa morali deficiente. Quod etiam inde patet: potest enim idem actus esse deliberatus & indelibera-

tus &

tus, & tunc quando eſt indeliberatus vtiq; non eſt peccatum: & eſt ſententia multorum, quod actus deliberatus & indeliberatus circa idem formaliter obiectum, non differunt ſpecie in genere naturæ. Non ergo actui in genere naturæ annexa eſt intrinſecè malitia moralis. Sciendum præterea, quod Deus priùs natura prædefinit actum bonum ſecundum quod habet ſpeciem moris, quam prædefiniat eum ſecundũ ſpeciẽ in genere naturæ. Ratio huius eſt, ſpecies enim actus, in genere naturæ, eſt propter ſpeciem in genere moris: Species enim in genere naturæ habet ſe vt materiale & potentiale, ſpecies verò in genere moris habet ſe vt formale & actuale; materia autem eſt propter formã, & potentia propter actum: & ideo via intentionis prior eſt actus quàm potentia, & formà quàm materia, licet via executionis & generationis prior ſit materia quam forma & potẽtia quàm actus. Prior ergo in intentione Dei eſt ſpecies actus boni in genere moris, quàm ſpecies eiuſdem actus in genere naturæ. Proportionaliter ergo dicendum eſt, quod quia Deus non poteſt prædefinire ſpeciem actus peccati in genere moris, ſed tantum permittere, quod prius natura Deus permittat ſpeciem actus mali in genere moris, quam prædefiniat ſpeciem actus vt actus eſt in genere naturæ. Sed iam inde patet, quam diuerſa ratione Deus prædefiniat actum bonum, & actum peccati vt actus eſt. Actum enim bonum ex ſe & primò prædefinit, quia intendit ſpeciem eius in genere moris ex ſe, & ideo prædefinit ſpeciem eius in genere naturæ. Actum verò malum in genere moris non ſolùm non intendit, ſed etiam abominatur & tantùm permittit, ac poſt præuiſionem eius ſecuturi ex libero arbitrio deficiente, non ex ſe ſed quaſi occaſionaliter, vt conſeruet iura libertatis creatæ, & propter exigentiam liberi arbitrij, decernit vt fiat actus in genere naturæ, & ordinat eum in finem naturalem: quæ ordinatio in finem poteſt dici prædefinitio, quia præcedit ſcientiam viſionis eius in genere naturæ, quamuis ſubſequatur ſcientiam viſionis eius in genere moris. Hic diſcurſus poteſt etiam ſeruire ad hoc, vt intelligatur qualiter Deus poteſt præmouere Phyſicè ad actum peccati vt actus eſt, & tamen nullo modo cooperari ad malitiam eius.

3. De ratione diuinæ prouidentiæ est, non solùm ordo mediorum in finem, sed etiam assecutio finis intenti; quod manifestè docet S. Thomas, nimirum prouidentiam Dei esse certam, & quantùm ad ordinem mediorum & quantùm ad euentum. Quamuis enim prouidentia diuina videatur deficere à fine particulari, nunquam tamen deficit à fine communi: imò hoc ipsum à diuina prouidentia præuisum est, vt aliqua habeant quidem ea quibus possint ad suum finem pertingere, non tamen actu pertingant; & sic prouidentia diuina semper impletur. Legat qui voluerit S. Thom: 3. Cont: Gent: c. 94.

4. Multum derogant perfectioni Diuinæ prouidentiæ, qui dicunt, quod seclusa scientia media ordo diuinæ prouidentiæ non est certus & infallibilis quo ad assecutionem effectus intenti. Eò enim ipso detrahunt multum certitudini & infallibitati diuinæ voluntatis, quam præsupponit prouidentia. Vnde potest tale argumẽtum formari contra scientiam mediam. Scientia media vel requiritur ad libertatem actus humani, vel ad infallibitatem. Non ad libertatem: quia per scientiam mediam cognoscuntur actus liberi, & tamen scientia media non supponit aliam scientiam mediam, alias esset processus in infinitum. Non ad infallibitatem; aliàs dicendum esset quod voluntas diuina ab intrinseco sui non sit infallibilis: quod repugnat necessitati eius intrinsecè, vt postea dicetur.

5. Quantumuis causæ contingentes, & liberæ non possunt se subtrahere ab ordine per diuinam prouidentiam sibi præfixo, secundum quod hic ordo progreditur à causa gubernatiua totius: ideò liberum arbitrium creatum propriè loquendo nullo modo potest voluntati Dei resistere.

6. Non tamen prouidentia Dei tollit contingentiam rerum, quia effectus diuinæ prouidentiæ non solùm est aliquid euenire quocunq; modo; sed aliquid euenire vel contingenter, vel necessariò. Et ideò euenit infallibiliter & necessariò, quod diuina prouidentia disponit euenire infallibiliter & necessariò: & euenit cõtingenter, quod diuinæ prouidentiæ ratio habet, vt contingenter eueniat. Bonum enim ordinis in rebus creatis existens à Deo creatum

 est, vt

eſt,vt ait S. Thom: 1. p. q. 22. art: 1. in Cor. Ratio ergo huius ordinis præexiſtit in mente diuina. Contingentia autem effectus eſt penes ordinem eius ad cauſam proximam ita eum producentem vt poſſit non producere. Eſt ergo ratio contingentiæ in mente diuina: prouidet ergo Deus non ſolùm vt res ſit, ſed etiam vt fiat contingenter, imò & hoc ipſum cauſat, quia prouidentia eſt cauſa ordinis à ſe prouiſi.

DE PRÆDESTINATIONE DEI.

1. PRædeſtinatio diuina eſt ratio ordinis rerum in finem ſupernaturalem in mente diuina exiſtens & præceptiua: vnde formaliter conſiſtit in actu intellectus qui eſt imperium, quamuis ſupponat actum voluntatis.

2. Bonus vſus auxiliorum gratiæ, etiam in quantum formaliter emanat à libero arbitrio, eſt effectus prædeſtinationis diuinæ. Hi autem qui defendunt ſcientiam mediam debent ſuſtinere, quod bonus vſus liberi arbitrij præſcitus per ſcientiam mediam vt ſic, non ſit effectus prædeſtinationis, ſed potiùs ſit ſaltem conditio ſine qua non eſſet prædeſtinatio adultorum. Quæ doctrina quantum diſtet ab errore ſemipelagianorum etiam ſcientiæ mediæ defenſorum, qui ponebant merita præuiſa, eſſe cauſam & rationem prædeſtinationis, non eſt huius compendij aperirere: Si Deus adiuuerit, aliàs id oportuniùs præſtabitur. Iſtud interim videtur certum, nullam conditionem antecedentem dari prædeſtinationis, ſed omnem conditionem cadere ſub prædeſtinationem tanquam effectum eius, vt ex dictis de ſcientia Dei ex mente Auguſtini & D. Thomæ poteſt patere.

3. Improbabilis eſt ſententia eorum, qui prædeſtinationis ordinem hoc modo aſſignant, quod Deus, quantum eſt de ſe, vult ſalutem hominum: & ideò decreuit omnibus dare auxilia gratiæ: & ex his quoſdam præſcit eis benè vſuros, & ideo eos prædeſtinat ad gloriam: quoſdam verò non vſuros, & ideò eos reprobat. Hanc tamen ſententiam non poſſunt aſſertores ſcientiæ mediæ per locum ab intrinſeco

trinseco efficaciter, & omnino neruosè in suis principijs conuellere. Si enim futurum contingens, vt futurum est, habet determinatam veritatem. Ergo potest præsciri à Deo, & qua ratione præscitur per scientiam mediam præciso decreto definitiuo, eadem ratione potest præsciri per scientiam visionis, posito solo decreto circa positionem hypothesis & excluso quocunq; alio, vt iam supra probatum est: & etiam dictum est, quod si Deus futura conditionata præscit ante decretum suum, quod etiam præscit futura absoluta ante decretum suum. Neq; potest iuuare recursus ad viam intentionis: quia decretum prædefinitiuum secundum assertores scientiæ mediæ non exigitur essentialiter ad rem futuram vt futura est, & ideò non datur etiam ad omnes actus vt actus sunt: sed, vt inquiunt, datur solum propter maiorem perfectionem prouidentiæ. Sic ergo stando in essentialibus non apparet quomodo firmiter possint impugnare sententiam dictam.

Hic esset locus tractandi de reprobatione: sed quia est animus tantum perstringendi ea quæ pertinent ad controuersiam de auxiliis actualibus, vt legenti præcedentia potest patere: ideò consultò alia omittuntur.

4. Prædestinatio est certa quoad assecutionem effectus, non solum certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine ordinis seu causalitatis mediorum. Nomine autem præscientiæ non intelligitur præscientia media, quæ nulla ratione datur in Deo, vt dictum est, sed intelligitur scientia visionis seu scientia absolutorum libera, quæ supponit decretum diuinum. Ab hac habet prædestinatio infallibilitatem: sed insuper habet infallibitatem causæ, præter infallibilitatem scientiæ vt scientia est. Hanc assertionem Defensores scientiæ mediæ, non possunt commodè tueri. Quamuis enim fateantur duplicem certitudinem præscientiæ & causalitatis, sed vnam, vt sic dicatur, materialem, aliam formalem: seu vnam denominatiuè & subiectiuè, aliam formaliter: ea ratione qua diceretur duplicem esse extensionem in substantia, quia & quantitas inherens substantiæ dicitur quanta seu extensa, & ipsa etiam Substantia est quanta & extensa; sed ipsa substantia subiectiuè, denominatiuè, &

uè & materialiter est extensa, non formaliter à se. Similiter verum est, quod actiuitas gratiæ moralis quæ ei competit de se vt aiunt, est quidem infallibilis denominatiuè & subiectiuè, sed non à se, seu ex se: sed quæ infallibilitas est intrinsecè in scientia media, denominat extrinsecè gratiam moralem infallibilem: & ita datur præter infabillitatem scientiæ etiam infallibilitas causalitatis denominatiua. Sed id non sufficit: requiritur enim certitudo ad prædestinationem duplex formaliter præscientiæ scilicet & causæ, ita quod ipsamet causalitas sit formaliter, à se certa. Docuit id expressè S. Thomas q. 6. de verit: art: 3. in c. *Duplex est* (inquit) *certitudo, scilicet cognitionis & ordinis: Cognitionis quidem certitudo est, quando cognitio non declinat ab aliquo in eo, quod in re inuenitur, sed hoc modo existimat de re sicuti est. Et quia certa existimatio habetur de re, præcipuè per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ab ordine causæ ad effectum, vt dicatur ordo causæ esse ad effectum certus, quando causa infallibiliter effectum producit. Præscientia ergo Dei, quia non importat vniuersaliter habitudinem causæ, respectu horum quorum est, non consideratur in ea, nisi certitudo cognitionis tantum: sed prædestinatio, quia præscientiam includit, & habitudinem causæ, ad ea quorum est, addit, in quantum est directio, siue præparatio quædam: & sic potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis, certitudo ordinis, de qua solum certitudine prædestinationis hic quærimus: de certitudine enim cognitionis ipsa inuenta patere potest, ex his quæ dicta sunt, cum de Scientia Dei quæreretur.* Et infra. *Non potest dici, quod prædestinatio supra certitudinem prouidentiæ, nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientiæ, vt si dicatur quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium: sed cum hoc de prædestinato scit, quod non deficiet à salute. Sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientiæ euentus; & sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis: quod est contra auctoritatem scripturæ & dicta Sanctorum. Vnde præter certitudinem præscientiæ, ipsa ratio prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* Hæc S. Thomas, quæ si bene expendantur clarè docent, quod in prædestinatione duplex formaliter reperitur certitudo, seu præter certitudinem scientiæ, etiam certitudo causalitatis. Porrò ex Scriptura, ad quam se refert S. Th. id colligitur. Ad Rom: enim

c. 4. di-

c. 4. dicitur: *Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promißio.* Et infra: *Quia quæcunq; promisit, potens est & facere.* Ergo promissio est firma, idest certa, secundum causalitatem gratiæ, & eius firmitatem desumit Paulus ex potentia, non scientia. Pulchrè Aug: lib: de Præd: SS. c. 10. *Non ait: Potens est prædicere & præscire: nam & aliena facta potest prædicere & præscire; sed ait: Potens est & facere, ac per hoc facta non aliena sed sua.* Idem Paulus c. 8. ponit gratiam actualem in vocatione secundum propositum. *Scimus* (inquit) *quia diligentibus Deum cooperantur omnia in bonum his, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Capite verò 9. ait: *Vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante.* Ergo propositum Dei est firmum ex vocantis electione, non ex operibus præuisis. Ad Ephesios vero 1. dicitur: *Prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ex his locis SS. Patres elicuerunt gratiam actualem infallibilem seu efficacem consistere in vocatione secundum propositum. Specialiter videatur Sanctus Augustinus, præcipuus post Paulum defensor gratiæ diuinæ, libro de Prædest: SS. c. 16. 17. 18. 19. De dono Perseu: c. 13. 14. 17. vbi ita meminit vocationis secundum propositum, quod nusquam meminit Scientiæ conditionatæ. Sentit ergo quod propositum Dei, etiam præcisè sumptum, confert infallibitatem gratiæ diuinæ. Expendantur loca S. Aug: non enim est locus hic ea exactè trutinandi. S. quoq; Thomas vbicunq; tractat: An voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat? docet quod sic, quibusdam absolutam, quibusdam conditionatam. *Necesse est enim fieri, si voluerit*, vt ait August. Idem docet quod prouidentia Dei sumit suam certitudinem non solum à scientia, sed etiam à voluntate. Videatur in Compen: Theol: c. 140. Et necessitatem infallibilitatis ex intentione Dei, pluribus in locis agnoscit. Sentit ergo voluntatem diuinam etiam secundum se sumptam esse infallibilem, quod sanè competit necessitati eius intrinsecæ. Et sic monstratũ est ex parte, quot toties promissum est, volũtatem scilicet Dei, quantùm est de se intrinsecè & formaliter esse necessariã & certam, etiam excluso respectu ad scientiam mediam. Videant qui docent, propositum Dei, non esse futurum infallibile

 nisi præ-

nisi præsum posita scientia Dei media: & item: propositum non esse causam formalem gratiæ efficacis, seu infallibitatis eiusdem.

DE GRATIA DEI ACTVALI.

1. ACtio cuiuslibet entis creati dependet à Deo, quantum ad duo: Vno modo, in quantùm ab ipso habet perfectionem, siuè formam per quam agit: alio modo in quantùm ab ipso mouetur ad agendum. Hæc motio est Physica, quia est communis agentibus naturalibus & liberis: est præuia, quia motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causa. Vtrumque expressè docet Cathechysmus Romanus, non alicuius puerilis institutionis, sed virilis eruditionis, ex mandato Sacrosancti Concilij Tridentini, à Patribus eiusdem Concilij conscriptus ad Parochos, & à Pio V. Pontifice Maximo approbatus, qui est veluti appendix doctrinæ fidei explicatæ à dicto Concilio. Is ergo par: 1. de primo Symboli articulo, sic habet: *Non solùm autem Deus vniuersa, quæ sunt, prouidentia sua tuetur atque administrat: verùm etiam quæ mouentur, & agunt aliquid intima virtute, ad motum atque actionem ita impellit, vt quamuis secundarum causarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, cùm eius occultissima vis ad singula pertineat, & quemadmodum Sapiens testatur: Attingat à fine vsq; ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter. Quare ab Apostolo dictum est, cùm apud Athenienses annunciaret Deum, quem ignorautes colebant: Non longè est ab vnoquoq; nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Hucusq; Cathe: Ex qua auctoritate ductum argumentum, est irrefragabile, & longè probabilissimam reddit sententiam Thomistarum. De mente autem S. Thomæ, non est quod dicatur in præsenti: sufficit quod ipsimet aduersarij dant manus, & pleno ore fatentur, eam esse sententiam S. Thomæ, quam eius discipuli sequuntur: ad quod probandum proferri possent testimonia plurimorum; sed non sunt excedendi limites præfixi.

2. Hæc motio, est vera actio, seù operatio Dei. Et quidem si actiuè sumatur, est ipsamet substantia Dei. Vt enim dictum est, potentia non est in Deo vt principium actionis secundùm rem, non

enim Deus agit immediatione sui suppositi actione ad extra; sed suum intelligere & velle est facere; quod adeò planùm est in mente S. Thomæ, vt passim legenti occurrat. Ideo 1. Con: Gent: c. 68. dicit: *Quod remanet causalitas in causa prima, respectu motuum voluntatis, vt sic Deus seipsum cognoscendo, huiusmodi cognoscere possit.* Si remanet causalitas. Ergo non transit formaliter, tamen virtualiter seù eminenter transit, quia causalitas. In 2. verò ad Annibaldum dist: 26. q. 1. art: 4. in c. dicit: *Quod gratia dupliciter accipitur: vno modo, secundum quod est quoddam Dei donum in nobis. Alio modo secundùm quod significat Diuinam voluntatem, vel operationem, qua circa nos gratis operatur.* Et dicit: quod si primo modo gratia accipiatur, sumitur operari, & cooperari formaliter, quod explicat de gratia habituali. Si autem accipiatur gratia secundo modo, dicit quod oportet, quod sumatur operari, & cooperari effectiuè. Et dist: 28. q. 1. art: 2. in c. dixit: *Quod gratia potest accipi dupliciter. Vno modo pro aliquo habituali dono animæ diuinitus indito: Alio modo prò ipsa diuina voluntate seù prouidentia, qua gratis nobis bona largitur.* Et paulò infra dicit: *Secundo modo accipiendo gratiam, nullum bonum sine gratia facere possumus; indiget enim homo Diuino auxilio ad bonum operandum dupliciter. Vno modo in quantùm Deus operatur interius in omni natura & voluntate: alio modo in quantùm exterius occasiones, & adminicula præbet per suam prouidentiam benè operandi.* Habetur ergo ex S. Thoma, quod auxilium actuale Dei mouentis sit ipsa Diuina voluntas, & substantia Dei. Si verò passiuè sumatur motio Dei: comparata quidem ad causam secundam, vt est verè & propriè instrumentum in ordine ad esse, quod nulla ratione attingit virtute propria, sed tantùm virtute causæ primæ, importat in causa secunda intentionem solam, habentem esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis: & hoc modo debet intelligi S. Thomas q. 3. de Pot: art: 7. ad 7. differit enim ibi de virtute rei naturalis qua agit ad esse, vt instrumentum primæ causæ. Comparata verò ad causam secundam, vt est causa principalis sui effectus formaliter & præcisè loquẽdo, non importat aliud, nisi simplicẽ vsum passiuũ, qui Metaphysicè significetur per modum passionis, Physicè autem

non sit

non sit aliud nisi relatio. Qua ratione S. Thomas 1. p. q. 116. art: 2. docet de fato, quod est in causis secundis quiddam relictum ex prouidentia & voluntate Dei, quod sit *dispositio, non quæ est in genere qualitatis; sed secundùm quod dispositio designat ordinem, qui non est substantia, sed relatio.* Dictum est, formaliter loquendo; quia enim causa instrumentalis duplicem habet actionem: aliam præuiam dispositiuam, quam exercet virtute propriæ formæ, & respectu huius, est causa verè principalis: aliam quam participat virtute alteriùs causæ per motum ipsius; & quia rursum causa instrumentalis non attingit effectum causæ principalis, nisi exercendo actionem propriam, ita quod vna eademq; actio realiter sit & actio causæ principalis, quatenus progreditur à virtute propria, & sit actio causæ instrumentalis, quatenus egrediens à virtute participata habet vt sit attingentia effectus excedentis; inde est quod quasi materialiter loquendo, motus qui est in causa principali ad actionem propriam, sit etiam virtus intentionalis, ad hoc, vt actio propria sit productiua effectus altioris.

3. Duplex autem est motio Physica Dei: alia naturalis ordinis, quæ est applicatio causarum naturalium, ad hoc, vt agant secundùm naturam: alia supernaturalis ordinis, quæ est applicatio causarum eleuatarum, ad hoc, vt agant supra naturam. Hoc secundo modo dicta motio Dei dicitur gratia. Dicitur quoq; actualis, ad distinctionem gratiæ habitualis, quæ homini confertur, ad hoc, vt homo sit causa principalis etiam actuum supernaturalium: aliàs si respectu eorum esset propriè causa instrumentalis, ij non essent liberi & meritorij, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 23. art 2. & q. 5. de Spir: creat. articulo 1.

4. Omnis gratia actualis, simpliciter & absolutè loquendo, est efficax: eò modo quo dictum est, quod omnis voluntas Dei, simpliciter est efficax, similiter & prouidentia: maximè, cum gratia actualis actiuè sumpta, sit voluntas, & prouidentia Dei, vt dictum est. Sed sicut non inconuenit, quod voluntas Dei quæ est respectu proximi, & immediati effectus efficax, respectu vlterioris sit inefficax, & tantùm sufficiens: similiter non inconuenit

dicere,

dicere, quod prouidentia Dei respectu immediati prouisi effectus sit infallibilis, quamuis vlteriorem effectum non assequatur: ita non incõuenit dicere, quod gratia actualis semper sit efficax respectu proximi & immediati effectus, quamuis respectu vlterioris effectus possit dici tantùm sufficiens. Vt, si dicatur quod gratia excitans semper est efficax respectu actuum à se immediatè productorum, qui alliciunt & inuitant moraliter ad sequentẽ actum, respectu cuius gratia excitans est tantùm sufficiens.

5. Hinc sequitur, quod absolutè & simpliciter loquendo omnis gratia actualis, est motio Dei Physica: quia omnis motio Dei, est efficax; & sola operatio Physica est de se efficax. Nam & gratia excitans, est operatio Dei, seu voluntas Dei, producens in anima quosdam actus, qui eam euigilare faciunt, & moraliter alliciunt. Gratia ergo excitans, primò & originaliter consistit in motione Dei Physica, secundariò & consecutiuè, consistit in actibus animæ per illam productis, & animam proximè vitaliter afficientibus. Sicut enim necesse est voluntatem creatam præmoueri Physicè ad actiones deliberatas: ita necesse est eandem voluntatem præmoueri Physicè ad actiones indeliberatas: maximè, cùm contingat actum deliberatum, & indeliberatum, esse eiusdem speciei in genere naturæ. Inde est, quod & gratia sufficiens, primò & originaliter consistit in præmotione Physica, quæ efficax quidem est, respectu proximorum & immediatorum effectuum moraliter inuitantium; tamen eadem est sufficiens respectu vlterioris effectus: eadem ratione qua de voluntate Dei dictum est, quia & actiuè sumpta, est voluntas Dei.

6. Gratiam actualem efficacem, non solùm esse actiuam; sed etiam infallibilem in actu primo, iam tandem post longas cõtrouersias fatetur Theologorum nostri temporis communis sententia, quam etiam Societati Iesu Claudius Aquauiua Præpositus Generalis eiusdem, tenere peculiari decreto præcepit. Romæ 14. Decembris, Anno 1613. *Mandamus* (inquit) *vt in tradenda diuinæ gratiæ efficacitate, nostri eam opinionem sequantur, siue in libris, siue in lectionibus ac publicis disputationibus, quæ à plerisq; Societatis nostræ scriptoribus tradita, atq; in controuersia de auxiliis Diuinæ gratiæ coram Summis Pontificibus piæ me-*

moriæ Clemente VIII. *& S. D. N. Paulo V. tanquam magis consentanea SS. Augustino & Thomæ, grauissimorum Patrum iudicio, explicata & defensa est. Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quæ effectum reipsa habet atq; efficax dicitur, & eam quam sufficientem nominant, non tantùm discrimen esse in actu secundo, quia vna ex vsu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis effectum sortiatur, altera non item: sed in ipso actu primo, quod posita scientia conditionalium, ex efficaci Dei proposito, atq; intentione efficiendi certissimè in nobis boni, de industria ipse ea media seligit atq; eo modo & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis vsurus, si hæc in efficacia præuidisset. Quare semper moraliter, & in ratione beneficii, plus aliquid in efficaci, quàm in sufficienti gratia, etiam in actu primo contineri. Atq; hac ratione efficere Deum, vt re ipsa faciamus, non tantùm quia dat gratiam, qua facere possimus: quod idem dicendum de perseuerantia, quæ procul dubio donum Dei est.* Hucusq; Claudius Aquauiua, cuius moderatio necessaria erat. Vt enim ait Bellarminus: opinio eorum, qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humana; ita vt ab euentu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum; & ideo sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur, est aliena omnino à sententia etiam Scripturarũ Diuinarum, & euertit omnino fundamentum prædestinationis diuinæ, quam S. Augustinus ex diuinis literis solidissimè comprobauit.

7. Cæterum, quomodo assertores scientiæ mediæ constituentes infallibilitatem gratiæ (quia de actiuitate non est sermo) in vi quadam infallibiliter efficiendi consensum, non quam ex se habeat, sed quam habet vt subest infallibili scientiæ Dei mediæ, non debeant fateri gratiam esse efficacem ab effectu, difficile est æstimare. Aliud est enim in quo, aliud à quo: & sic aliud est in actu primo vel in actu secundo, aliud ex actu primo vel ex actu secundo. Esto quod gratia efficax possit aliquo modo dici infallibilis in actu primo, sed tamen infallibilis ex actu secundo debet dici à sustinentibus scientiam mediam. Ipsa enim infallibilitas scientiæ mediæ, non est in actu primo, sed in actu secundo, quia consequens conditionalis propositionis est immediate in seipso verum, non in antecedenti: & est verum de futuro quia futurum est: ideo enim aliquid scitur per scientiam mediam, quia futurum est, & non è conuerso. Ergo si gratia

gratia infallibilis est quia subest scientiæ mediæ, de primo ad vltimum, gratia infallibilis est quia consensus futurus erat. Probatur consequentia ex mente aduersariorum docentium; quod hæc est verè & propriè causalis propositio: ideò scitur aliquid per scientiam mediam, quia futurum est. Ergo etiam de primo ad vltimum, verè & propriè hæc causalis propositio est: ideo gratia infallibilis est; quia consensus futurus erat. Præterea, infallibilitas, & certitudo est necessitas. Sed gratia infallibilis vt subest scientiæ mediæ est necessaria necessitate tantum consequenti & non antecedenti. Ergo non ex causa & à priori; quia sic definitur necessitas antecedens ab Anselmo. Ergo ab effectu. Probatur hæc consequentia. Sic enim definitur necessitas consequens ab Anselmo, quod sit quæ sequitur rem ipsam, & qua necessitate necessariò est aliquid futurum quia futurum erat. Ergo, in actu primo gratiæ efficacis infallibile est quod voluntas operabitur quia operatura erat, & hoc iuxta Phrasim Anselmi.

8. Gratia ergo actualis est efficax ex se, quia actiuè sumpta est voluntas Dei, de cuius efficacia nullus potest dubitare. Hæc Physicè facit, quod causa secunda faciat seu agat, & subdit sibi liberum arbitrium, ita quod non expectet eius consensum, non enim Deus &creatura sunt causæ partiales, neq; cooperatio liberi arbitrij primò inchoatur à voluntate creata, sed à voluntate Dei. Neq; etiam cooperatio liberi arbitrij vt sic, procedit à sola & innata eius libertate, quasi liberum arbitrium creatum sit prima causa seu prima radix suæ determinationis, imò ex se ipso nihil operatur. Tandem liberum arbitrium præuētum huiusmodi gratia efficaci, scilicet voluntate Dei prædefinitiua, non potest non operari in sensu composito, sed solum in sensu diuiso: per quod minimè læditur libertas arbitrij creati, imò perficitur, quia æquè vtrumq; verum est, & quod voluntas creata sub voluntate Dei non possit non operari in sensu composito; & quod eadem voluntas sub voluntate Dei non possit non operari liberè, quia Deus vult eam operari liberè.

9. Impossibile est, ex duobus hominibus præuentis omnino æquali gratia vnum cōuerti alium non conuerti: alias homo seipsum discerneret ab alio, contra illud Apostoli; *Quis enim te discernit, quid*

 autem

autem habes quod non accepisti? Æquale enim in quantum æquale, non potest esse primò radix discretionis. Et quamuis aduersarij respondeant, gratiam fore æqualem Physicè, non moraliter in ratione beneficij, quia vocatio congrua seu in hypothesi præuisa per scientiam mediam est maius beneficium: hoc nihil iuuat. Eamus enim ad punctum crudum scientiæ mediæ. Quid est quod ante decretum suum Deus præuidet, quod si Petrus vocetur, & in talibus circumstantijs ponatur quod conuertetur: & rursum præuidet, quod si Paulus æquali omnino vocatione vocetur, & in æqualibus circumstantijs ponatur, quod non conuertetur? Sanè magna discretio; hic conuertetur, alius cum æquali gratia non conuertetur: & tamen hæc discretio ab aduersarijs reijcitur in libertatem creatam: ideo enim, inquiunt, Deus præscit per scientiam mediam quod Petrus conuertetur, quia conuertetur, & ideo Deus præscit per scientiam mediam quòd Paulus non conuertetur, quia non conuertetur: nam & vniuersaliter dicunt, quod Deus ideo scit futurum per scientiam mediam, quia futurum est: insuper docent, quod consequens conditionalis ante decretum Dei, immediatè in seipso verum est non in antecedenti. Confirmatur. Illa enim discretio non potest reduci in gratiam, quia æqualis est, æquale autem in quantum æquale, non potest esse principium diuersorum: & non est inæqualis moraliter, quia scientia media non supponit aliam scientiam mediam. Ergo illa discretio debet reduci in libertatem creatam. Respondent, quod Petrus præuidetur consensurus ex gratia & libero arbitrio, Paulus dissensurus solùm ex libero arbitrio: Sed contra: quia alia est quæstio absoluta, alia est quæstio comparatiua. Aliud ergo est quærere, quare Petrus consensurus est, & respondetur, quod ex gratia & libero arbitrio: & quare Paulus dissensurus est, & respondetur quod ex libero arbitrio. Aliud autem est quærere, quare potius Petrus quàm Paulus consensurus præuidetur per scientiam mediam, cùm intelligatur ex hypothesi æqualis gratia: quod est quærere radicem discretionis: & non potest in illo signo rationis alia assignari ab aduersarijs præter libertatem creatam, vt probatum est. Originaliter ergo loquendo, necesse est omnino, quod assertores scientiæ mediæ dicant, quod vnus homo ab alio se discernit: origo e-

rigo enim infallibilitatis gratiæ, & maioritatis moralis in absolutis est scientia media.

10. Gratiam adiuuantẽ actualem, qua adiuuantem, esse præuenientem, ita ex mente Concilij Tridentini colligitur, vt non sit necesse testimonia Sanctorum Patrum adferre, & rationibus veritatem hanc corroborare. Sessio: ergo 6. c. 5. inprimis dicit, *Iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præueniente gratia, sumendum esse*: & explicans, quæ sit ista gratia præueniens, subdit: *vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atq; adiuuantem gratiam, ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Ergo videtur sentire, quod gratia excitans & adiuuans, sit præueniens. Non ergo sola excitans, sed etiam adiuuans est præueniens. 2. Concilium dicit, eandem esse gratiam excitantem atq; adiuuantem: & reuera eadem est, nam gratia excitans & adiuuans actiuè sumpta est voluntas Dei. Sed gratia excitans est præueniens: ergo & gratia adiuuans est præueniens. 3. Concilium dicit quod per gratiam adiuuantem à Deo auersi disponuntur ad conuertendum se, ergo ex mente Concilij gratia adiuuans, est dispositio ad conuersionem: non vtiq; passiua, ergo actiua. Sed dispositio præcedit id ad quod est dispositio. Ergo gratia adiuuans est præueniens. 4. Concilium dicit, quod homines gratiæ adiuuanti cooperantur. Ergo innuit quod gratia adiuuans, est gratia operans: dicuntur enim homines cooperari Deo operanti. Sed gratia operans est præueniens ergo gratia adiuuans est præueniens. 5. Concilium vlterius dicit: *ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neq; homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest: neq; tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Tunc sic. Concilium loquitur de homine actu illuminato, & dicit, quod etiam post illuminationem, sine gratia Dei non potest se mouere ad iustitiam, libera sua voluntate. Quæritur, sine qua gratia? Non sine gratia excitante, quia actu illuminatus iam habet gratiam excitantem. Ergo sine adiuuante. Sed gratia sine qua homo non potest mouere se ad iustitiam libera sua voluntate, est gratia præueniens. Ergo gratia adiuuans est gratia præueniens. 6. Concilium prosequitur & dicit: *Vnde in Sacris literis cum*

dicitur, Conuertimini ad me: & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cum respondemus, conuerte nos Domine ad te, & conuertemur; Dei nos gratiâ præueniri confitemur. Tunc sic arguitur: Quando respondemus Deo, Conuerte nos ad te, vtiq; iam aliqua gratia præuenti respondemus, quia nemo potest Deo respondere, & conuersionem petere, sine speciali gratia præuenienti, vt patet. Ergo si adhuc tunc nos Dei gratia præueniri confitemur, vtiq; gratia adiuuante; nam excitati respondemus. Ergo gratia adiuuans est præueniens. 7. Dicere, conuerte nos Domine ad te, est fateri nos Dei gratia præueniri. Sed dicendo conuerte nos ad te, dicimus excita nos & adiuua nos: quia vt dicit, Concilium per excitantem & adiuuantem disponimur ad conuersionem. Ergo fatemur nos Dei gratia & excitante & adiuuante præueniri. 8. Concilium c. 6. sic dicit, *disponuntur ad iustitiam dum excitati Diuina gratia & adiuti, liberè mouentur in Deum.* Quibus verbis innuit Concilium, quia prius excitati & adiuti, deinde liberè mouentur in Deum, ergo prior est gratia, non solum excitans sed etiam adiuuans. 9. Idem Concilium Can: 4. dicit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari Deo. Tunc sic. Motum & excitatum non sunt Synonima. Ergo per ly motum, intelligitur adiutum. Sed dicitur cooperari. Ergo Deo operanti: sed gratia operans est præueniens. Ergo gratia adiuuans, est præueniens. 10. Tandem. Concilium Moguntinum Prouinciale, celebratum tempore Concilij Tridentini, vt ex Historijs patet, docet: *Iustificationis initium ex Dei gratia prouenire, quâ ante omne meritum, dum adhuc inimici & peccatores sunt, excitati & adiuti, & eidem gratiæ sic excitanti & adiuuanti consentientes, & cooperantes, ad iustificationem disponuntur.* Et statim immediate subdit. *Hanc verò præuenientem gratiam ad conuersionem hominis operari.* Ergo sentit manifesto gratiam adiuuantem esse præuenientem; nam & eandem esse vult, & textus id ostendit.


11 Sed necesse est, quod specialiter expendamus verba Canonis Sexti, quibus Concilium asserit: *Deum bona opera operari propriè & per se.* Quibus verbis videtur Concilium definire, quod Deus per gratiam operantem, quæ est præueniens operatur Physicè opera bona. In primis enim quod Concilium Tridenti: loquatur de gratia operante, constat ex illis verbis; Deus operatur opera bona. Quemadmodum

admodum enim ille locus Pauli: *Deus est, qui operatur in nobis velle,* intelligitur de gratia operante, ex sensu communi; ita etiam proportionaliter iste locus: Deus operatur opera bona, debet intelligi de gratia operante. Constat item ex eo, quod Concilium Tridentinum contraponit, Dei operationem circa opera bona, contra permissionem operum malorum: quæ contrapositio maximè debet intelligi de auxilio præueniente. Loquitur ergo Concilium de gratia operante; sed gratia operans, est gratia præueniens, vt docet Sanctus Thomas, & alij passim. Ergo Concilium Tridentinum loquitur de gratia præueniente. Per hanc gratiam præuenientem Deus operatur opera bona, propriè & per se. Ergo Deus per gratiam præuenientem operatur opera bona Physicè. Probatur consequentia: Operari enim propriè & per se, est operari Physicè, quod statim probatur. 1. Quia mos est Conciliorum generalium hunc terminum verè, intelligere pro eodem quod Physicè. Vbi ergo aliud non obstat potest ita intelligi. Antecedens probatur ex Canone Concilij Ephæsini, qui sic habet: *Si quis post naturarum vnionem, substantias in vno Christo diuidit; (vnicuique nimirùm suam propriam assignans) naturasq; ea tantùm copula connectit, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem: non ea autem coitione, quæ fit secundùm Physicam vnionem, Anathema sit.* Postea verò in declaratione einsdem Canonis explicatur verbũ illud: *Secundùm Physicam vnionem*; id est, *Secundùm veram vnionem. Nam ita Diuina scriptura verùm alicubi vsurpat*, ait enim: *Et eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri, hoc est verè.* Ergo secundùm Phrasim Conciliorum, verè, idem est quod Physicè: tanto magis; quando contraponitur contra aliquid morale, sicut vnio dicitur Physica contra vnionem per dignitatem & auctoritatem, quæ est moralis vnio. Ergo quando Concilium Trident: definit Deum bona opera operari propriè, potest intelligi Physicè. 2. Quia secundùm doctrinam S. Thomæ, causa moralis, non est propria causa. Ita habet S. Thomas quæst: 3. de malo, art: 3. in c. *Causa* (inquit) *aliquid mouens multipliciter dicitur; quandoq; enim dicitur causa, id quod est disponens, vel quod est consilians, vel quod est præcipiens: quandoq; verò dicitur causa id, quod est perficiens, & hæc propriè, & verè causa dicitur: quia causa est, ad quam sequitur effectus. Ad actionem autem perficientis statim effe-*

tim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis. Suasio enim non cogit inuitum, vt August: dicit in lib: 83. quæstio: Et infra: *Diabolus non est propriè causa peccati; sed per modum persuadentis tantùm.* Et in responsione ad tertium. *Diabolus non est propriè causa peccati, nam propriè causa dicitur, ad quam ex necessitate sequitur aliquid.* 3. Ex sententia communi causalitas causæ finalis est motio metaphorica; sed motio moralis, est causalitas causæ finalis. Ergo motio moralis est motio metaphorica. Ad idem est dictum S. Thomæ q. 3. de Pot: art: 17. ad 14. Si motus propriè accipiatur, Diuina voluntas non mouetur; sed metaphoricè loquendo dicitur moueri à suo volito. Tunc sic. Causalitas causæ finalis, & motio moralis, quæ sēper se tenet ex parte obiecti, reperitur etiam in Deo. Sed in Deo est motio Metaphorica. Ergo absolutè loquendo, motio moralis, est motio Metaphorica. 4. Causalitas causæ finalis ex sententia plurimorum, est secundùm rem ipsamet operatio causæ efficientis. Ait enim S. Th. q. 22. de voluntate, ar. 2. in c. *Sicut influere causæ efficientis est agere: ita influere causæ finalis est appeti & desiderari.* Ergo motio moralis non distinguitur ab appetitione voluntatis. Ergo non præuenit appetitionē voluntatis. Atqui necesse est fateri causalitatem Dei propriam, priorem natura quàm sit operatio voluntatis, quia Deus propriè facit, vt faciamus: Si ergo Conc: Trid: loquitur de gratia operante & præueniente, loquitur vtiq; de causalitate physica & non morali. Deus ergo ex mente Conc: Trid: operatur opera bona Physicè.

12. Contra hanc determinationem potest opponi, quod SS. Patres posuerunt gratiam efficacem in vocatione, illuminatione, & inspiratione. Respondetur, quod SS. Patres gratiam efficacem posuerunt in vocatione, non præcisè, sed secundùm propositum quod secundùm se est efficax. Vtrumq; ergo agnouerunt & gratiam excitantem, & prædefinitionem. Aduersarij iactant vocationem congruam, seù regulatam scientiâ mediâ. Thomistæ iactant vocationem efficacem secundùm propositum phrasi scripturæ & Augustini, quod propositum facit facere Physicè. Et hæc est nota distinctionis duarum opinionum oppositarum.

Laus Deo, Virginiq; Matri,


Biblioteka Jagiellońska
stdr0003617